



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Christophori Longolii Lvcvbrationes

Longolius, Christophorus

Lvgdvni, 1542

Christophori Longolii Civis Rom. Perdvellionis Rei, Prioris Diei Defensio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69441](#)

CHRISTO-

PHORI LONGO-

LII CIVIS ROME.

PER DVELLIO=

NIS REI,

PRIORIS DIEI DEFENSIO.



V O'D per hosce quadraginta dies à deo optimo maximo precatus sum P. C. ut si eo in Senatum populumq; Rom. animo semper fuissem, quo mortales omnes esse debent, daretur mihi aliquando à perpetua illa, et planè hostili accusatorum meorum infectione respirādi spatiū: ut hoc in loco et accusationem eorum tutò refellere, et innocentie mea rationes uobis liberè explicare possem: id ego mihi hodie tandem singulari uestro tam cōfilio, tam etiā beneficio uideor consecutus: qui me, quod erat quidem æquitate uestra dignissimum, sed in tantis aduersariorum meorum opibus, mihi hoc tēpore minime sperandum, contra multorum uoluntatem præter omnium opinionem, ad causam hac in arce Capitolina dicēdam admisisti. E quidem cum audissem inimicorum meorum cōspirationē, non modo multitudinis animos, quod illis fuit factu multo faciliū: uerum etiam quosdam summo loco natos homines, quod satis mirari nō poteram, ita in me, quem pleriq; eorum nondum satis nossent, concitatos, ut ui et armis, non iure et legibus, sibi mecum statim agendum putarent

6 CHRIST. LONGOLII

rent: decreueram sane cū ciuitate, qua me paucis antē diebus donaueratis, inimicis meis cedere, tum uero etiam ab ipsa urbe Roma, communi gentium omnīū patria, aliquō me trans Alpeis recipere. Quod ipsum et si Pop. Ro. inuidiosum fore uidebam, qui me ex ea ciuitate in dicta causa pelli passus esset, in quam Senatus iudicio essem ornatiſſime accitus: tamen cum tam impotēti aduersariorum meorum factioне opprimerer, ut prius damnatus essem, quam locis calunniaſſus teus, nec quisquā pro me uerbū facere auderet, neq; uero in genitivis mihi ipſi pro me dicendi potest, ulla fieret, cuius oratio non tam superuacanea & inanis, quam inuisa & odiosa fore uideretur: eò mihi, opinor, descendendū fuit, ut ciuiū meorum irae, multorū exemplo atq; consilio locum darē. Nunc autem quando uestra autoritate P. C. qui Senatum hac de re cognoscere atq; statuere uoluistis, ea facta est cōmutatio, ut ab aperta quidē ui nihil iam sit hic mihi extimescendum: nec, quod miserrimum erat, posthac metuendum, ut indemnatus ad libidinem inimicorum meorū ē ciuitate & urbe eiſciar: faciā ut, quāquam ipſe ſim tanto rerum mearū periculo ualde conturbatus, nec sane ad agendum satis paratus, nec tamen ego quoq; mihi defuisse, & meo ipſe silentio proditus, ac mea etiam ſententia damna-
 tus dici poſsim. Nam quod ad caſae ſummam atq; iudicij euentum pertinet, dum in uos quidē & rē ipſam intucor, optima interim conſcientia fretus, dignum innocētia mea rei exitum expecto. Dum uero aduersariorum potētiam, & me reum iniquissima fortuna circumuentum conſidero, perquām tenuis mihi ſp̄cs ſalutis ostenditur, planeq; ignoro, quo pacto & animo meo ſatisfaciā, & huic tempore commode ſeruiam. Siquid enim unquam fuit, quo cuiusquam existimatio & ſtatus, iudicio euerti poſſent, id certe omne

omne in causam nostram cecidisse atq; confluxisse uidetur
hoc tempore . Primum popularis istorum actio : cuius me
uel solo nomine statim oppressum iri accusatores mei con
fidunt: nam se pro patria in huius reipublicæ hostem pu
gnare contendunt . Deinde summa gratia: quæ minime mi
rum est, primarios adolescētes aduersus hominem nouum
et adhuc penè alienum superiores esse . Tum uero mira
quædam agendi pronuntiandiq; facilitas : qua me ad ulti
mas Gallici Germaniciq; Oceani oras natum facile supe
rant . Huc accedit inueterata cuiusdam de Francorum lau
dibus orationis inuidia, qua me prorsus obrutum, ac qua
si unictum sententijs uestris trucidandum à se obiectum
esse gloriantur . Quòd si cætera mihi cum eis essent pa
ria, illud quidcm duriore me loco constitueret, quòd cum
ita natura comparatum sit, ut conuicia atque crimina in
alios uel temere coniecta libenter excipiamus, eos uero
qui uel necessario sc̄ laudant ipsi, ferre non possumus: id
apud istos sit, quod uoluptatem non mediocrem audito
ribus afferat: id mihi relictum, quod sine stomacho ne
mo facile audiatur . Quòd si maiorem naturæ, quam caufæ
meorationem duxero, ut de me neq; libere neq; magni
fice loqui interdum ausim: nihil omnino habere uidebor,
cur uos me ciuitate uestra dignum iudicaueritis. Sin id re
tulero, de me ipse dicam necesse erit: ac simul in ar
rogantiae suffisionem uobis ueniam, quam me in hoc
orationis meæ principio deprecatum esse maxime uelim
existimetis . Nam quòd illos, cum hic tum de se am
plissimis uerbis multa disputatione, tum de reipublicæ sta
tu non pauca dicerent, tum uero in me atrocissime perora
rent, non tam libenti Senatu auditos esse intelligo, quam
secunda concionis uoluntate fuerant usi: affert id ipsum

a * mihi

CHRIST. LONGOLII

mihi quidem spem nonnullam: sed mihi nihilominus tamen
 uenit in mentem subuerteri, ne multorum animi abdici
 eorum criminibus occupati atq; incensi orationem
 meam repudient, mihi que de me & pro me dicenti non
 adeo pateant. Nec enim obscurum est, quam arduum sit
 euellere ex mentibus hominum semel conceptam animo
 & fixam opinionem: eam præsertim quæ ad reipublicæ
 decus, cuius nemo non amantissimus haberi diciq; postu-
 lat, spectare uideatur. In priuatis causis, siquid præiu-
 dicati domo attulimus, etiam ueritati repugnamus. Quid
 de iudicijs loquor? in quotidiana consuetudine, siquid
 nobis temere exciderit, non solum siquid apud nos consli-
 tuimus, id fere aduersus omnem humani ingenij rationem
 pertinaciter tuemur. Adeo plerisq; omnibus insitum est,
 quamcunq; opinionem ab initio mente comprehendenterint,
 eam quo iure, qua iniuria ad extrellum perferre. Quæ si-
 mul omnia cum mecum cogito Patres conscripti, non ue-
 stra mihi solum religione & sapientia aduersus multo-
 rum præiudicia opus esse video, sed patrono etiam ali-
 quo cum eloquentiae facultatibus instructissimo, tum ue-
 ro gratia & autoritate florentissimo. Cui si pro me di-
 cendi potestas fieret, audiretis profecto & confirmatas
 accuratius cause nostræ rationes, & confutatas libe-
 rius aduersariorum meorum calumnias. Verum quando
 id nobis integrum nunquam fuit, & ita sors mea iam inde-
 à principio mihi infesta tulit, ut ego, qui publicæ ini-
 diæ obiectus, qui omnium suspicionibus deditus essem,
 qui nullam in dicendo libertatis partem tenerem, qui à
 quatuor nobilissimis & in dicendo uehementissimis ado-
 lessentibus accusatus essem, tamè à me uno defenderer: ue-
 stræ fuerit iustitiae Patres conscripti, homini innocētissimo
 quidem

in commoda for-
 tunæ uicent

ORATIO I.

quidem mihi, & nominis, deus immortalis, Romani stu-
 diosissimo, sed impotenti crudeli que aduersariorum meo-
 rum conſpiratione in ſumma inuidiam adducto & ab-
 iecto, adeffe, atque eo meliore mente uerba mea audire,
 quo plane æquius eſt, cauæ noſtræ humilitatem magnis
 iſtorum opibus diu afflītam, tandem amplissimi ordinis
 æquitate erigi atque recreari. Ac ut ſtatim intelligatis,
 quām nulla ſceleris conſcientia territus, quām pura men-
 te atque integra in iudicium deſcenderim, non commemo-
 rabo ea uobis, quæ ſunt certè maxima, meæ in Populum
 Romanum obſeruantiae argumenta: quòd hoc etatis reli- A
 cta, ne quid amplius dicam, germana patria, una rerum
 literarum que ueſtrarum admiratione tractus ab extre-
 mis Galliarum Germaniarum que finibus huc uenerim:
 quòd apud nullos, præterquām ciues Romanos diuerte-
 rim: quòd patriæ propemodum oblitus, nihil cum Gallis,
 nihil cum Germanis domestiци uſus hoc triennio habue-
 rim: quòd cum eo nomine magna apud populares meos
 inuidia flagrare, in ſententia cōſtanter perſtiterim: quòd
 in maiorum ueſtrorum dictis, factis laudādis fuerim, mea
 quidem ſententia modicus, nonnullorum autem iudicio ni-
 mius, & quaſi prodigus. Nolo hæc, inquam, Patres Con-
 ſcripti, innocēti & meæ fidem uobis ullam faciant: ſed illud
 uos unum nonnihil commoueat, peto, quòd simul ac nūbi
 dies dicta eſt, nihil omnino recuſarim, uadimonium confe-
 ſtim obierim, iudicium ueſtrum, nulla reiectione interpo-
 ſita intrepide ſubierim. Quanquam audiebam nonnullos,
 qui me cupidissime eſſent damnaturi, hoc in confeſſu uo-
 biskum affuturos, haud ulla quidem: mea iniuria prouo-
 catus illos (quem enim ego mortalium unquam prudens
 offendī?) ſed inimicorum meorū impulſu atq; calumnijs
A S incenſos

incensos. Quos tamen ne sic quidem mihi reijciendos puz-
taui, ne in meo uel quantumuis iusto metu, atque adeo in
aperto discrimine, de ciuis Romani cuiusquam æquitate
uidear dubitare. Nihil hic dico Patres conscripti, quam
magna sit uis conscientiæ in utranque partem: ut neque
timeant qui nullius sibi fraudis conscijs sint, & poenarum
metu semper trepident, quos suum facinus, suum scelus
urgeat: ut uos mihi disceptatores libes constituerim, cum
isti à me et Senatus autoritatē imminutam, & Populi Ro-
mani maiestatem lœsam esse criminarentur. id sane haud
temere facturus, nisi causæ meæ confiderem: præsertim
cum in multitudine mihi partim obscurius iniqua, partim
non dissimulanter infesta, tam multa audirem, tam multa
uiderem, plura suspicarer, nonnulla etiam merito crede-
rem. Tantum à uobis, qui nihil istis de me credendum
putatis, ut quo semper in nos fuistis animo, eo nunc quo-
que sitis, peto. A uobis autem, quos inimicorum meorum
improbitate mihi parum æquos redditos esse intelligo, ut
iudicium de me uestrum usquedum pro me dixero susten-
tatis, postulo. Perorata enim & cognita causa, liberum
uobis erit, aut in ea, in quā isti uos adducere conati sunt,
sententia permane: aut si de innocentia mea uobis con-
stiterit, me autoritate uestra in ciuitate retinere. Et quo-
niam multo isti plura in me falsò contulerunt, quam de
re ipsa dixerint: qui me Macliniæ, nobili quidem & illu-
stri oppido, sed hinc longe tamen trans Alpeis natum esse
non ignoraret, & ab oculis auribusq; uestris procul etat-
tem egisse scirent, atque ex eo sibi multa impune fingendi
datum esse locum arbitrarentur: date hanc mihi Patres
conscripti, ueniam, ut de superiore mea uita, pauca ipse
apud uos dicam. Nam cum uerū ex me omnino audietis,

tum

*petit pluri lori
problematem
quibus in uita enarrare adi-*

tum etiam, uti spero, à nobis perficietur, non modo uti uobis mores meos purgatos probatos que existimetis, sed etiam ut plenius causæ huius ratio tota intelligatur. Neque uero me propter istorum calumnias, cum uestro beneficio atque iudicio ciuis Romanus sum, à ciuium uestrorum numero segregandū esse iudicetis! Ego enim Patres conscripti, ut primum literis uestris ad humanitatem informari potui, statim à parentibus Lutetiam Parisiorum summissus, annum tum quidem adhuc octauum agens, sed uel id ætatis nec ab literis abhorrens, nec propinquorū meorum sententia immaturus, qui in celeberrimo illo optimarum artium atque studiorum domicilio iam tum erudireratque liberaliter instituererat. Ibi cum annos circiter octo, optimis doctioribus, ac Roberto Fortunato Durceo in primis usus, operam bene posuisse iudicarer, prefectus sum in Hispaniam cum Philippo Austrio, Principe singulari cum felicitate, tum etiā uirtute nulli Regum secundo: cui per eos dies ulterioris Hispaniæ regnum, Isabellæ socrus morte, dotale obuenerat. Fui apud hunc, non quod ipse id ætatis per me quidem magnopere dignus essem, sed Andreæ Burgonis, qui tum à Maximiliano Cæsare Legatus ad filium missus esset, autoritate & gratia, haud contennendo uel honoris, uel amoris loco. Praerā enim una cum Aegidio Vandamæo regijs & sanctioribus illis recōditarū rerum notis: quibus hodie unis omnia propè regnorum arcana rectissime cōmittuntur. Verum Philippo paucis post mensibus quam Rex salutatus esset uita functo, recepi me cum regio comitatu in Germaniam ad Carolum filium eius, quem quidem nuper inaudita quadā adhuc & plane diuina felicitate, omni maiorū suorū imperio potitum omnes audiuitis. Hic cum longum propinquai mei, adultam pueri

Princi

scilicet
accidit
magis
in India
fornicata
curatio magis
rebus
ad
cuonudo in ger
prædicto in rati
proficit

Principis ætatem expectare ducerent, erat enim uixdum
 annos nouem natus, suadere cœperunt, ut (quod sane mea
 sponte facturus eram) elegantioris doctrinæ intermissa
 haud ita longo interuallo studia tantisper reciperem, dum
 Carolus adolesceret. Tenebar tum quidem adhuc earum
 quæ dicendi disputationiq; rationem traderent disciplina-
 rum studio: uerum arbitratus me nullum non exilem ex
 earum cognitione fructum esse percepturum, nisi iuris e-
 tiam uestri prudentia animum excolem, contuli me Li-
 minum Pictonum, Aquitaniæ urbem, neque studiosæ iu-
 ventutis multitudine incelebrem, neq; Pontificij ciuilis q;
 iuris interpretum doctrina inter eas quidem gentes igno-
 bilem. Ibi cum inter æquales meos, oratorijs, ut fit, com-
 mentationibus studiosius interdum exercerer, Gallos se-
 mel ita à me laudatos esse isti contendunt, ut multum in-
 terim de Populi Romani dignitate atque gloria uidear
 detraxisse. Florebat eodem tempore Philippus Decius,
 aut certe nō ita multo postea, magna ingenij doctrinæq;
 laude ius ciuile docere cœpit Valentiae (Colonia uestra
 hæc est, in Narbonensi prouincia) Eius igitur uiri fama
 extitus, cum illò profectus essem, meq; totum ei tradidis-
 sem, paucis quidem annis, sed plurimo certè legum uestra-
 rum studio ita profeci, ut eorum omnium qui tum Va-
 lentiæ consulti numerarentur iudicij, propter non con-
 temnendam in ea arte uel scientiam uel memoriam, cun-
 ctis eius ordinis insignibus ornamentiisq; cohonestarer.
 Inde ab amicis Lutetiam reuocatus, biennium in utrisq;
subsellijs tum agendo, tum respondendo ita uersatus, ut in
centumuirale illud consilium adlegerer: tamen operam
 mihi planè profudisse, atque etiam literis uestris indignus
 semper fore uidebar, nisi dum per ætatem licret, hanc
 quoque

quoq; urbem uiserem: ex qua leges, ex qua literæ, ex qua religio, ex qua denique omnis humanior uita, omnis rerum omnium cognitio ad nos emanasset atq; defluxisset. Ita etsi parū amicis propinquisq; meis profectionis meæ consilium probasscm, qui me iam florescentem gratia & ~~metheclora~~ honoribus illic uiderent: Romam tamen ueni, ut hanc com munem gētium omnium patriam, non modo inspicerem, atque ita abirem, qui quidem prouincialium multis mos est: uerum etiam eius populi consuetudine aliquot annos uterer, cuius lingua, corde, manu, gentes omneis superatas omnium gentium monumenta testarentur. Ac quod optabam quidem, id cum aliorum ciuium uestrorum quotidiano usu, tum uero Iulij Tomarotij, atq; Mariani Castellani, uirorum clarissimorum hospitio atq; familiaritate sum cōsecutus. Altero quām Romam ueni non plene uertente anno, cum mihi decretū esset ineunte tertio domū redire, conscripsi orationes quinq; de Italie ac urbis uestræ laudibus, quæ essent cum Mariano Castellano dignū mutuas internos charitatis pignus, & tanquā hospitalis quædam tessera, tum uero perpetuum meæ in nomen Romanū pie tatis argumentum. Interim cum ipso urbanæ uite splendore, atq; iucundissima tot doctorum uirorum captus consuetudine, annum item unum domo abesse constituisse (quis enim non optet in hac hominum luce, in hac rerum omnium uel claritate uel celebritate diutius uiuere?) contigit etiam, primum ut me Decimus Leo Pontifex Maximus singulari & planè diuina illa sua liberalitate completeretur. Deinde ut Marianus Castellanus, Senatu legitime coacto, ciuitatē mihi à uobis nominatim & petcret & impetraret, cū nihil facile minus neque expectarem neque cogitarcm, quām ut me in ciuem uestrum ascisceretis.

Quanquam

Quanquam enim mihi conscius eram egregiae meæ in
 hanc rempublicam uoluntatis, qui quadam certe ad Popu-
 li Romani naturæ adiunctione nihil moliebar aliud, nisi
 ut de uobis quamoptime aliquando mererer, non me pro-
 pterea tamen tanti apud uos esse arbitrari, ut eam mihi ci-
 uitatem ultro deferretis, quam multis coram potentibus
 denegatam esse non ignorarem. E quidem ut me primum
 tribunus
 ab acuto busaeus
 tuus salutary Iacobus Busæus, transtyberinæ regionis Tribunus, cum
 aliquot suis collegis (quod mihi reiq; publicæ bene uerte-
 ret) ciuem Romanum uerbis uestris consalutauit: nec sta-
 tim quidnam ille ea sibi orationuellet intellexi, nec post-
 eaquam sane cognoui, uerba mihi ab eo, quicū mihi sum-
 ma intercederet familiaritas, dari non putaui, quoad M.
 Torquati uiri clariſſimi cæterorum' que qui unà adessent
 asseueratione commotus, fidem Tribuno habui: & me uo-
 bis, quod effet in more positum, ad gratias publice agen-
 das cōparaui. Hic est uitæ meæ cursus Patres conscripti,
 hæc studiorum mcorum ratio, hoc annorum undetriginta
 ſpatium, in quo illud modo unum ab istis grauius repre-
 henditur, quod iam olim Patauij adolescētulus ipſe in qua-
 dam adolescentorū concione, contra Populi R.o. digni-
 tatem acerbius locutus esse existimer. Non enim reus sum
 neq; læſæ religionis, neq; sacrilegij, neq; furti, neq; par-
 ricidij, neq; stupri libidinis' ue ullius: breuiter, non crimi-
 nis alicuius de quo iudicia publicè priuatim' ue more ma-
 iorū cōſtitui soleāt. Ac ita profecto ſeſe res habet P.C. ſic
 capite periclitator, nihil ut in nefario crimine mihi ab istis
 ponatur: ſic de omnibus fortunis decerno, non mihi ut fa-
 ctorum meorum; quæ uel inimicis meis probantur, ſed di-
 factorum, imò uero nugarum ac leuiſsimorum puerilis æta-
 tis rudimentorū ratio hodie reddenda ſit: parum mediufi-
 fidius

fidiis fano accusatorum meorum consilio, qui ob schola= sticā nescio quam declamatiunculā has tantas in urbe ter= rarum principe turbas, ne seditiones dicā, sibi excitandas putauerunt. Neq; uero is ego sum P. C. qui uel cuiusquam in patriam studio offendar, uel me ab istis in capitis iudi= cium uocatum esse acerbius feram. Scio enim eam esse cau= sæ huius rationem, ut et si ego longe absim à criminis sce= lere, potuerint tamen isti suspiciose aliquid de oratiuncu= la illa dicere. Sed illud mihi nouum & per quām iniquū sane uisum est, quod statim à dicta mihi die, animū ad uim minasq; conuerterint: quasi me non tam in iudicium addu= cere, quām ad cædis causam huc elicere uoluisse uideren= tur. Nam quod modestissimi corū inimicitias mihi denun= ciarunt, quod populū uicatim ambierunt, quod ut aliò exulatum mütterer à se perfectum iri iracude insolenterq; gloriati sunt: id ego quidem moderate mihi ferendum cen= seo. Sed quid cæteris opus fuit operas conducere? sagatos medio foro uolitare? plebem in me seditionisimis concioni= bus incitare? Quæ quidem ut non tam ad præsens exitiū pertinuerint meum, quām ut ego co tumultu perterritus atq; debilitatus deserto uadimonio ex urbe profugerē: qui tamen hæc tam facile miscent, & palam impuneq; turbat, ij certè & ciuilis uitæ moderationem omnem cuertunt, nec se certo ullo consilio aut iudicio duci, sed cæco ali= quo animorum impetu perturbatos ferri atque raptari ostendunt. Ut iam illud minus uobis mirum esse omnino debeat, eos nullo more, nullo exemplo hoc accusandi mu= nus sumpfisse, sumptum neque pro legitimo Quiritum iure, neque ullo iudiciorum ordine atq; instituto obiuisse. Descenderunt enim ad me accusandum P. C. non ut publi= cas, quod quidē præ se uulgò ferunt & ostentant, iniurias perseque

persequeretur, sed partim inuidorum inimicorumq; meorum cōsilijs adducti: partim insignis illius repulsa, quam in amicorum suorum petitionibus retulerunt, dolore con citati: partim alienæ uirtutis, cuius ipsi splendorem ferre non possent, honore incensi: partim etiam ut in populari admodum causa opes suas ostentarent, & per nominis nostri insectationem honori uelificaretur suo. Atq; ut uobis statim liqueat P.C. istos neq; quām hic sustineant personam adhuc scire, neq; eorum quicquam quæ mihi obiece runt, planum ab eis factū esse: primū de eo dubitare neminem arbitror, nunquam uestra, ut Imperatorum fortasse uestrorū aliquando, suisse retractata iudicia. Deinde non esse priuatorum, sed nec cuiusvis etiam Magistratus, Pātrum decretis intercedere: uerum eorum duntaxat, qui eadem potestate sunt, qua ij qui Senatns consultum facere possunt, hoc est, Tribunorum plebis, quos isti regionum capita cur hic semper appellant, nō sane dispicio. Postremo ita deniq; intercessionis eorum rationem haberi constat, si nondum factō S.C. morā decreto afferre cōperint. Hic ego uos P.C. ipse appello: frequentes enim (ut in legitimo Senatu par erat) eo affuistis, quo ciuitate donatus sum dic. Num cum de me relatum, Tribunorum quisquā intercessit? num rogantibus sentētias Cōsulibus, aut Prætor, aut Aedilis, aut Quæstor, aut alio Magistratu quisquam, aut deniq; Senator ullus, non dico acclamauit, sed omnino hæsitauit? Quòd si me amplissimus ordo ciuitate & maximo cōsensu & singularibus uerbis donauit, atq; ipsa Senatus autoritas iam perscripta est & sancita, neq; uero Tribunorū plebis ullus hodie quo minus diploma ta mihi expediantur intercedat: non uideo quanam isti adolescētes uel autoritate uel fiducia freti, quos priuatos esse

esse nemo nescit. Senatus consultum uestrum tam iustum,
tam legitimū, tanta sanctionis pœna circūfēptum & mu-
nitum induci postulent, à uobisq; tam improbe petant, ut
quod heri publice decreuistis, id hodie palām rescindatis:
magno quidem meo periculo, sed perpetua quoq; quam
Deus auertat, s. p. Q. R. nota. Nec enim dubium est, quin
si uos decretum uestrum ipsi, ad istorum postulationē an-
tiquetis, unā constantiā uestrā labefactetis nomen, fatea-
miniq; aliquid à uobis contrā atq; liceret esse constitutū.
Quod quis credat: Profecto apud omnes iustū & sanctū
habetur, quicquid amplissimus ordo decreuit, etiam ut id
aduersus nonnullorum rationes atq; commoda contendat.
Senatus (si nescis bone adolescens) legis cōdendae ius ha-
bet, ac propter aliquā uulgo ignotam rerum utilitatē, iu-
ris quoq; uim innouandi. Quod semel constituit, ratum id
est: nec ratio eius reddēda, sed nec omnino exquirenda est.
Quin tolerandæ sunt etiam leges uel iniquæ, ne, dum tabu-
las facile figimus atq; refigimus, omnes in disceptationē uo-
cenus: quando nō nemo aliquid semper fingere posſit quo
leges rationibus suis aduersæ abrogentur. Gratificantur
hic uobis nutu accusatores mei P. C. ab ignaris rerū mea-
rum, ciuitatem mihi imprudēter communicatā significat.
Quasi uero quod in priuato aliquo uix feras, id in consi-
lio publico tolerabile quisquā ducat: nec leuius multo sit,
s. p. Q. R. cōsulto aliquid fecisse quod non liceat, quām o-
mnino nesciuisse quod liceat, aut temere officio suo perfun-
ctum fuisse. Verum quānam hic fronte uos rerū mearum
ignoratione ad hunc mihi deferendū honorē inductos esse
calumniantur, haudquaquam ignari, hanc esse uestri insti-
tuti, nunquam sane à uobis neglecti rationē, ut non prius
aliquem in ciu- scribatis, quām uestri ordinis duo, de con-

siliſ ſententia ſuper eius qui aut corām aut ſui abſentis rationem haberi petit, conditione trinūdīnum ſtudioſe inquifierint, Senatuiq; renuntiarint, quid de hominiſ morib⁹, et uita priuat⁹, existimatione et institutiſ publice compertum habeant. Itaq; ſi nihil horum à uobiſ antequam me ciuitate ornaretis, factum eſſe tranſactumq; contendunt (ut nihil hic de ſtulta eorum et inſigni arrogañia dicam, qui uoſ inertiæ impudentiæq; hic condeñnare audeant) quibus'nam alijs aut certe grauioribus id eis probem teſtibus, quām ampliſſimi ordinis, id eſt hoc uero ipſorum confeſſu: qui uctuſtum morem, et legitimos inquirendi dies, ni alia, hæc profecto in re diligenter ſeruatoſ eſſe non ignoratiſ. Sin autem, quod leges ueſtræ in donanda ciuitate fieri præſcribunt, id à uobiſ rite atque ordine factum eſſe non negant: deſinant aliquando ueſtram in rebus meis ſcientiam deſiderare, et Senatus impudentiam impudetiæ ſuæ prætendere. Enim uero ſi ab ijs quibus exquirendi negotium dediſtiſ, Senatus maximis de rebus, ſine dolo malo meo celatus eſſet, atq; ea iſti uobiſ indicaffeſſent, nihil tamen magis ea mihi res apud aequos iudices fraudi puto fit, quām ſi quis ueſtrum non contemnendo munere aliquē proſecutus, mox ab eodem neſcio quid in ſe olim dictum reſciuiffeſſet, atque eo liberalitatis ſuæ reſcindendæ ius ſibi eſſe arbitraretur.

Vt enim hic eam iniuriam, ſi non ab re profecta ſit, poſſit, aut ſapienter diſimulare, aut moderate ferre: ſi temere iactata, animo uel magno contemnere, uel humano ridere, uel liberali condonare, uel imbecillo etiam dolore, non item donationem ipſam reuocare, ſed ſuam potius uel in habita ſtatiſ fide credulitatem, uel in donando imprudentiam incuſare: Sic certe P. C. ſiquid uobiſ Legati minus

minus fideliter renuntiassent, quos quidem in eo fungendo munere summam constat adhibuisse diligentiam, uelletis tamen (scio) uos quidem uestræ liberalitati grauitatiq; constare, præsertim cum ne ex conscientia omnino mea ciuitas mihi aut petita sit aut cõcessa. Ego quidem eam rem simul ac mihi nūtiata est, non modo ratam habui, sed illu-
stri etiam gratia excepti. uerū quæ mea in eo tandem culpa, quòd commemorandū illud & planc diuinum uestrum de me iudicium, quo à uobis in ciuitatem Romanā absens uocatus sum, nec superbe floccipendi, nec à me neglectum ingrate simulaui, atq; adeo multū in eo tuēdo operæ mihi ponēdū existimauī. Improbè sanè facitis accusatores mei, qui cum me à deniq; culpā præstare debeā, alienæ me reū subiçcitis: quāquam nec aliena ista quod equidē sciā, apud ullos omnino resideat. Et quia uos P. C. tertio quoq; orationis suæ uerbo, ad eripiendā mihi ciuitatē insolenter cohortabātur: discat hic homines parū scilicet in foro uersati, quid enim aliud dicā? sed discant primū, ius à maioribus uestris ita cōparatū esse, ut nemo hanc ciuitatē, ne populi quidem iussu amittat, nisi ipse eiusce rei autor factus sit, et exilio sibi ciuitatē abiudicarit, aut in eā iam sit receptus, quo uertendi mutandiq; soli causa sese contulisset. Deinde eam esse donationis uim atq; naturā, ut ob admissum ante liberalitatē facinus nullum reuocari iure possit. Quinq; enim tantummodo sunt causæ, quamobrem accepto beneficio, munificentia irrita fieri soleat. Si beneficiarius eum cuius liberalitate rem auxit, atroci iniuria afficiat: si uerberet: si fortunis spoliat: si in uitæ discrimin præcipitet: si dictæ in donando legi non pareat. Nihil me autem eorum postquam à uobis ciuitate donatus sum, in populo Romano admisisse, nec antè me potuisse ingrati aduersus

uos animi crimē cōtrahere, quām uestro ipsi me beneficio
deuinxi setis, neminem dubitare arbitror. Tum uero illud
cogitent munus, quo à uobis nuper honestatus sum, eo li-
beralitatis genere ad me profectum esse, quo omnes iuris
periti uno donationem definierunt. Donastis enim me ciui-
tate, nullo quidē meo hanc in remp. merito prouocati: præ-
mium enim hoc esset, & merces, nō beneficium: sed ea sola
de causa, ut liberalitate munificētiāq; uestra me cōplete=remini. Nisi quis fortasse uestrum, Marianū Castellanum
audiēdum etiam nunc censcat, qui se mihi hunc honorē eo
quæsiuisse affirmaret, ut hac quoque in parte maiorum
suorum instituta longo interuallo relata atq; repetita cer=neret: quibus mos fuisset, quicquid usquā gentium aut in=genio, aut opibus, aut doctrina, aut industria, aut cæte=ris animi fortunæq; ornamētis egregiū existeret, id omne
magna cōquisitū cura, diligēter huc transferre atq; tradu=cere. Quasi uero tale quicquā in hac mea rerum omnium
medio critate reperiatur; qui præter deditū huic reip. ani=mum & singularem erga Po. R. uolūtate nihil isto uestro
beneficio dignum mihi posse uideor præstare. Atq; haec o=mnia P. C. haud ita quidē longa oratione à me collecta, sed
uobis non ignota, & iccirco perinde ut in transcurso, ad=monendi uestri, non docendi gratia pressius cōmemorata,
eo spectant: ut cognoscatis accusatores meos, legū, iudicio=rum, cōsuetudinis uestræ prorsus ignaros dicam, an con=temptores, ad mihi facessendum periculum inconsiderate
procurrisse: nec tā de capite meo, quod haud scio an mihi
esset tolerādū, quām de perturbatione iudiciorū omnium,
atq; adeo de leuitatis nota, quod quidē dissimulare nō pos=sum, amplissimo ordini injurēda, certare. At qui nolim sum=mo iure cū istis agere, quos neq; quemadmodum lege agi,
neq;

neq; ut iudicia constitui oporteat, nosse aut rationē ullam omnino ducere satis opinor perspicitis. Quare tametsi iam exploratum habetis, causæ meæ rationes tam expeditas atq; explicatas esse, ut nec de iure meo dubium cuiquam esse possit, nec hæc res in iudicium omnino uocari debeat: de meo tamen iure decedā, et eis quod alius nemo cōcederet, ego ipse, tum innocentia mea tectus, tum æquitate uestra fretus concedā. Do istis igitur quæ admodum Imperatorum, sic etiam Senatus iudiciū aliquando retractari posse: quod sane neq; æquum est, neq; ullo unquam exemplo receptum. Do priuatæ cōditionis adolescentes, Patrū decretis intercedere: quod ius non esse Tribunitiæ potestatis ius aperte declarat. Do factam publici autoritate consiliij donationem, sine ulla inconstantiae suspitione antiquari: quod cuiusmodi sit, ipsi uidetis. Do, quod nullo fieri queat modo, me ingratū erga uos antè esse potuisse quam beneficium à uobis acceperim. Do siquid aliud sibi assumunt, quo iudicium more maiorum constituatur: hoc enim, si et per uos meo mihi iure uti licebit, et ipse uelim, non consistet. Sed quid tandem? quamobrem me de ciuitate tollendū contendunt? quo nam tanto meo maleficio, me Italiæ inimicū, huius Reip. hostem iudicari postulant? Num hostes Po. Ro. concitaui? num barbaros armis cōmeatu' ue iuui? num opera dolo' ue malo meo consiliū initum est, quo magistratus Pop. Ro. qui' ue imperium aut potestatem haberet, occide retur? num deniq; aliquid à me cōmissum, quo Po. Ro. magnitudo uel insignite læderetur, uel atrox aliquod uulnus acciperet? Nihil huiusmodi obijcitur. Graue tamen sit ali quid oportet, quare me de ciuitate pellendum, tanquam Italiæ inimicum, tanquam Po. Ro. hostem uociferentur. Quidnam isthuc tandem est? Attendite quæso P. C. noua et ante

b 3 hunc

hunc diem inaudita crimina audietis. Fas esse negant me
 ciuum Romanorum haberi numero, quē ipsi Gallum esse
 hominem, quem indoctum, quē ignobilem: super hæc, quē
 in Pop. Ro. olim scripsisse contendant. De natione, literis,
 genere meo, postea uidebimus: nunc de inuidiosa illa dicā
 oratione, quæ mihi tantam tempestatem, tantum in hac ur-
 be turbarum conflavit. Nam cum in ea demum istis sint
 omnia, primum de eo ipso quod quasi atrocissimum po-
 fuerant, mihi dicendum esse arbitron. Ac ut uobis statim
 constet P. C. nihil eos certi probatiq; attulisse, quod me
 etiam uobis ostensurum esse initio sum pollicitus: liceat
 mihi accusatorem meū, prius quam in causæ nostræ defen-
 sionem ingrediār, hic interrogare. sic enim plenius spero
 cognoscetis, nulla iusta de causa ad hanc accusationem
 descendisse illum, sed inimicorum meorū calumnijs inser-
 uientem huc temere progressum, mihi periculum gratis fa-
 cessere. Heus tu ingeniose adolescens, non id potissimum ha-
 bes, quod mihi criminis des, habitam à me olim in Pop. Ro.
 orationem: hoc si nego, qui me conuincis? An te concioni
 interfuisse mentiere? Non mentieris puto: nec enim tam
 impudens es, ut te uel in Gallia fuisse ausis dicere, in cuius
 oppido quodam, nuper ne nomine quidem tibi cognito,
 eam à me habitam esse affirmares. Nec sane si interfusses,
 iam meminisse possis, aut certe tum intellexisses, natus (nisi
 me corporis istius habitus barbatulaq; ista tua facies fal-
 sum habent) annos plus minus nouem, cum illam ante an-
 nos amplius undecim à me dictam esse fateare. An ab alijs
 id accepisti? quibus nam ijs? Italis' ne, an Gallis? à Gallis
 iuxta & Italis? cur igitur non edidisti testes? imò cur non
 produxisti iuratos, qui id pro testimonio dicerent, quod
 ego neque testatum neque notum esse contulerem? Nam
 ucl

uel Italos, quos quasi de domo uestra productos, atque in
rem quodammodo tuam testimonium dicturos, meo iure
possim refellere, in me rogari siuissem, neq; eos sanè quic-
quam interrogasset. An delationi tuae, astipulatorumq;
tuorum calumnijs, tantum uel fidei uel autoritatis inesse
putabas, ut tibi sine testibus, sine testificationibus, sine ul-
lis monumentis, in re tam ardua & capitali iudicio s. p.
Q. R. statim crederet? At prorsus ea summa est hominum
opinio: quasi uero me rumoribus hic damnandum cēseas,
quibus non nemo etiam innocentissimus opprimi queat,
inimicorum fraude falsos sermones dissipantium. Scilicet
te in concione, Pop. Ro. crimen planum fecisse, & hic ac-
cusatoris munere perbelle defunctum gloriabere, si quod
nuper ex magistro tuo accepisti, nunc nobis totidem uer= 9
bis reddas, Audieram & fama fuit. illius potius in mentem
tibi uenire debuerat, Fama malum, quo non aliud uelocius
ullum. Sermo est enim sine capite, sine ullo certo autore
diuulgatus: cui potuit initium dedisse inuidorum meorum
iniquitas, accessionem attulisse imperitae multitudinis
credulitas. Videtis P. C. quād isti magnum & sibi ne=
ctendis calumnijs, & mihi ad ineptias huiusmodi irriden-
das campum patefaciant, qui se ex uulgi opinione peri-
culum nobis legitime facessere existimant. At enim ar-
gumentum huiusce rei habent, orationem quandam
sub nomine meo de laudibus Francorum inscriptam. Vti=
nam Patres conscripti, graue aliquod firmum' que in=
dicium uobis proferrent: non quo cuiquam optandum
sit, ab aduersarijs conuinci, aut eas ipse partes egisse ue=
lim: sed ne si (quod deus auertat) causam isti obtinue=
rint, ad cæteras meas calamitates etiam accedat mali, ut
sub frigidissimis, & hoc quidem in genere infantissimis

b & accus

accusatoribus dicar in optima ipse causa cōcidisse. At uero titulus Christophorū Longolium arguit autorē. Mcā autem hic, an aliena manu conscriptus index: aliena scilicet. Quid igitur, si librarius nomen alieno operi induxit meum: alieni me criminis reum constituetis? Nec enim nō uum est P. C. nec inauditum, sed tā usu frequēs quām pāsim impune, adumbratis autoribus scripta aliena et interdum etiam sua peruulgare. Sic De proprietatibus elemētorum commentarij, De secretis item ad Alexandrū libelus Aristoteli falso attribuuntur. Sic Insomnia, sic Magibacula Platonī ascribuntur: Ad Herennium Rhetorica, à Cicerone scripta existimantur: Pulex ille & Vetula ad Ouidium Nasōnem referuntur: Impudica in Priapū carmina Maronis nomine circumferuntur: nec sit sane exemplorum modius, si quis omnia persequi uelit: quando uel hodie Ianus Parrhasius (quem uirū honoris causa nomino) nominis sui autoritatem quibusdam libris uulgo ascriptam esse non sine causa conqueritur: ut nemini plane nō paratum sit periculum, si in iudicijs ea statim recipiētur, quae librariorum quæstuosa uel malitia uel stultitia pāsim eduntur. Nec me hic tandem, quod necessarios meos soles, interrogaueris, Cuius ergo hæc oratio: ignorare me dicam. Est enim (ne forte nescias) eius qui accusat, insequi & probare: qui uero recusat, fugere & negare, etiam ut factum impune fateri possit. Nam uel illæ quibus in iure aduersarios interrogamus actiones, ijs quirei capitalis nomen deserunt publicorum iudiciorum usu dengantur. Quòd si huc percunctatum uenisti, agnoscam orationem nec ne: cur me tanti criminis reum detulisti, de quo tibi necesse est uti me adhuc roges, quia omnino nescis? Et quoniam, quòd mihi Christophoro

Long

Longolio nomen est, me illius libelli autorem esse pertinaciter contendis, quasi nomina conueniant: cedo nunc, an non Beroaldi duo prænomento Philippi, paucis ante annis in Italia floruerunt? eadem ætate ambo? non indocti ambo? Bononienses ambo? an non ab uno facile conscribi potuit, quod alteri ascriberetur? Non hoc (scio) negabis. quare nec in eo quidem dubitaris, posse Christophorus Longolios reperiri duos, quorum alter ob alterius culpā in discrimen atque inuidiam uocetur. Age uero fac à me apud unum & alterum orationem illam agnitam esse, cuius tamen rei fidem nullam his possis facere: non continuo tamen meam esse uicisti: nec quod extra iudicium temere essem professus, id me in iure ipso (ubi sola, eaq; non uerbis & coniecturis collecta, sed è re nata & perspicua, ueritas aestimatur) ullo præiudicio onerarit. Quid quòd multos uestrum hic uideo, quibus eam mihi falso ascribi, sæpenumero sum testatus? quod uos quoque accusatores mei persæpe uulgò iactastis, dum atrocitatem eius adaugeare conaremini. Quo quid manifestius, ne uobis quidem ipsis, nedum amplissimo ordini adhuc liquere, ea oratio à me, an ab alio quopiā conscripta fuerit? nisi fortasse quadraginta his diebus, quibus in me absentem debacchati estis, Gallos aliquot homines huc adduxistis, qui testimoniū in me secundum fidem & religionem grauiissimè dicerent. Quòd si testem in me nullum produxistis, nec ullū omnino huc adducere iam potestis: eam à me habitam si nego, qui docebitis? Deuolabitis scilicet impigri in Galias atq; Germanias, ac interea dum pro me dico, inde excitatos in me testes quām mox hic sistetis, aut certè obsignata testimonia nihil dum misso Senatu deferetis, quamquam testibus, non tabulis accusatorum leges Romane

b 5 fidem

fidem haberi uoluerunt. Neq; uero hæc à me tam multis
 disputantur P. C. ut me aduersus istorum crimina inficia-
 tionis presidio munirem. Nam neq; iam periculum est, ut
 prius opprimar, quā facti mei rationem attulero: neque
 ea certè, quæ nūhi obijciuntur, tam grauia sunt, quād isti
 uideri uolunt. Sed iccirco illa omnibus uestigijs indagata
 atq; collecta posui, ut perspicere possetis, odiose & inui-
 dia occæcatos illos, accusationem in me prius apud uos
 temere instituisse, quād eā inter se diligēter adornassent
 ipsi atq; instruxissent: tametsi, si uera sunt quæ audio, duo
 bus amplius mensibus bene multi dicendi magistri, ea una
 in re commentanda componendaq; occupati, industria m
 omnem posuerunt, & tempus omne consumperunt. Ha-
 beant igitur confitentem reum: quo nihil sanè optare po-
 tuissent maius. neq; enim, si uerbo negarem, quò progrede-
 rentur iam haberent. Agnosco orationem, quam isti tam
 sollicitè circunferunt, quam tam studiose præcidunt, omni-
 bus legendam porrigunt. Eandem olim à me Pyctauij ha-
 bitam confiteor: num in ea tamē tantum mali, ut propter-
 ea me, quē de maiestate postulant, tragica sua uoce Italiæ
 inimicum, huius Reipub. hostem personarent? quanquām
 neq; ut ob eam rem maiestatis reus fieri potuerim, satis in-
 telligo, qui eo quidē tempore, cū illa declamarē, ciuis Ro.
 non essem. Sed fuerim sanè tum Romanæ ditionis, qua me
 tandem lege perduellionis compelles. Non quidem Iulia,
 qua una cum uindicentur crimina, quibus quid aduersus
 populum Rom. securitatem ue eius committitur, nemini
 tamen de linguae lubrico accusationem ponì uoluit: atque
 adeo nominatim uetuit, ut cuiquam fraudi esset improbo
 petulantiq; maledicto principis populi maiestate lacessi-
 uisse. Ut sit, inquit, molestiæ nescius, pudoris ignarus,
 imperij

20

imperij obtrectator turbulentus: durum tamen aut asperū
aliquid ne sustineto. Agnoscitis legis uerba? Viderūt pro=
fecto maiores nostri (cur enim maiores uestros, meos quo
que nō appelle, si me ciuitate donastis, si iure Quiritum
legitimo, quoad de retinēdo expellendo ue ciue quæritur,
uindiciæ secundū ciuitatē dantur?) viderūt id, inquā, ma=
iores nostri, quod suapte natura æquū erat, liberorū ho=
minum, liberas esse oportere uoces, dūtaxat si eos qui ob=
loqueretur, reip. nocere non posse cōstaret. Dicat aliquis:
Solutū igitur cuius crit, populum gētium omniū uictorē
maledictis incessere. Solutū, si modo ex maiorum institu=
to ius dicturi estis: quod ipsum quidē eo preclare traditū
esse arbitror, ut neq; indignū populi Rom. maiestate iudi=
cium publicè susciperēt, neq; uero de imperij Ro. gloria
uerbis unquam contenderetur. Ac certè priuatorū est ho=
minum, iniuriarum experiri: cæterarum item fortasse gen=
tium, contumelijs incitari: unius autem populi Rom. gra=
uitate atq; animi altitudine dignum, priuatorum obtrecta=
tiones magno animo contemnere, haud secus facile atque
uiros forteis & ualenteis imbecillum canicularum latra=
tus aspernari, non etiam ulcisci uidemus. Sed nec illis pro=
fecto contumeliae ipsæ impune cedunt, qui de uobis indi=
gne detrahunt. Nam cum nomini Rom. nocere omnino
nequeant, frustrā que caninam illam in uos eloquentiam
suam exerceant, stultitiae suæ fama plusquam dici potest
plectuntur. Itaque facestant turbulentæ istorum uoces:
conquiescat arrogans præiudicium, quando me lex nulla,
nullum Senatus consultum, nullum plebiscitum, nulla prin=
cipis constitutio nec maiestatis recum, nec hostem populi
Rom. definiuit: imo uero ab huius nominis inuidia omnia
me iura tuentur, liberant, etiam si in uos studio & apertè
scrip

scripsisse. Videor mihi P. C. accusatores meos iam fatentes audire, me quidem neq; in lege Iulia maiestatis teneri, neq; huius reip. hostem dici posse, sed hac omnino esse ciuitate indignum, quod in populū Rom. olim dixerim. Respiravi, iam nox & exemptus sum, quādo nec hostis sum, nec quicquam contra rem pub. à me factum esse isti iam tentur. Itaq; dispicite, utrum etiam notæ eximi debeam: an uero tanquam ab indigno ciuitas mihi à uobis, qui senatu legitime coacto ea me donastis, auferri recte queat, idq; propter eam quæ præcessit, non ob eam quæ beneficium secuta est, culpam. Quid: rectè mones: huius quoque exceptionis defensionem mihi ademi. Ergo præteriti aduersus me ratio admissi habeatur: nihil recuso. In populū Rom. olim inuestitus dicor. Ego P. C. abhinc annos undecim, de Francorum ac diuī Ludouici laudibus orationem à me dici memini: in populum Rom. peroraui nunquam. Inspicite orationis eius, quam isti tum solicite circungestant titulum: Francorum modo laudes, nō autē etiam populi Ro. uituperationem pollicetur. Recita inscriptionē.

IN S C R I P T I O. Verum illud quoq; animaduertite P. C. ut me librarij inscritia Parisiensem inscriperit, dum uel patriæ suæ cupidius studet, uel me ementito originis loco nobilitare conatur. Ego enim Macliniæ sum natus, Macliniæ educatus, Germanicæ linguae & Cæsarum distinctionis oppido, cum alijs laudibus multis illustri, tum uero Philippi & Caroli Hispaniæ regum incunabulis percepibili. Neq; uero hæc eò dico P. C. ut si Lutetiæ Parisiorum natus atq; procreatus essem, non fuerim apud uos tanta origine etiam gloriaturus, quam constat omnium quæ ad septentriones solisq; occasum pertinent urbium longe principem: sed eò sanè illud dictum uelim, ut intelligatis

gatis nulla mea uel conscientia , nugas illas quæ mihi ca= 29
pitis periculum nunc quidem afferunt , in apertum fuisse
prolatas . Nec enim germana reiecta patria , cuius amo=
re omnes natura trahimur , alienam ac nihil mihi profu=
turam originem assumpsisse , si me autore in lucem illæ
prodissent . Quod ne hic à me temporis causa componi
atque fingi existimetis , recitari uobis mox iubebo literas
annis nouem ante hoc iudicium conscriptas , quibus amicos
meos , quos Lutetiæ habeo , nec fortuna , nec doctrina ob=
scuros incusabam , quòd orationem illam me inconsulto
peruulgassent , aut certè exire permisissent . non equidem
quo tum mihi eo nomine à uobis quicquam timendum ar=
bitrarer , quorum à me neque urbem unquam usum iri
sperabam , neq; sanè uoluntatem ea re offensam putabam :
sed propter planè puerilem dicendi speciem , quæ uel id
ætatis ad stomachum meum non ficeret , mihi etiam ma=
gno dedecori aliquando fore uideretur : ut nō possem sum=
mam accusatorum meorum aut malitiam , aut desipientiā ,
uel potius coniunctam cū prauitate stultitiam & inscienc=
tiā satis demirari , qui scribendi genus in ea tantopere
laudent , quod mihi etiam tum penè adhuc prætextato uix
lente ac fastidiose probari poterat . Cedo duas illas mihi
epistolas , quarum alteram ad P. Brissonem , ad Gothofre=
dum ciuem alteram scripsi . Atqui prius inspicite , ut exo=
lescentes iam ac fugientes literæ , scripti uectustatem indi=
cent , ne quis eas à me in tempus & ad hunc usum nuper
exaratas existimet . Soleo enim memoriæ meæ causa , et si
non magnopere diligenter , soleo tamen in linte a huius ce=
modi uolumina relatas tum meas , tum amicorum ad me li=
teras asseruare . L I T E R A E . Scio quid hic isti . Ut li=
brarium præstare non potueris , & eam à te compressam ,
nunquam

nunquam emanaturam putaris, at certè in Romanos ha-
biisti. Ego quod uobis paulò antè professus sum P.C. nō=
nihil olim de Francorum laudibus, in populi uero Rom.
contumeliam consulto nihil unquam dixi. Id titulus ipse
si non plene arguit, expendatur exordium, & estimetur
etiam totius dictio[n]is argumentum, & sententia consta-
bit sanè mihi in animo fuisse Francos, quo magis eorum
uirtus enitesceret, Romanis cōparare, non damnare Ro-
manos. Quòd si tum mihi in eā causā ingrediēti propon-
sūt id erat unum, ostendere Francos rēnū gestarū ma-
gnitudine Romanis præstisſe, quo scilicet uobis habere-
tur proximi (petebam enim, quod ueteri prouerbio mone-
mur, iniquum, ut obtinerem & quum) si id, inquam, unum
spectabam, profecto Romanis maledicere nolui, quibus
Francos & quabam, aut etiam omni laudum genere præ-
stantiores demonstrare conabar. Nisi quis me fortasse tam
stupidum fuisse suspicatur, ut summā Francorum laudem,
in summā ipsorum contumelia positam arbitrarer. Nec
enim insigniuseius gentis honorē suggillare dignitatemq;
labefactare potuissent, quām si eam improbisimae parem
atq; etiam superiorem ostendissem. Atqui longè alia mihi
mens erat P.C. quippe Francos quām maxime laudandi:
idq; me uel hoc uno argumento facilimē consecuturū spe-
cibam, si docerē ab eis populi Ro. uirtutes non & quatas
modo, sed multum etiam uictas esse. Roget aliquis, utram
igitur gentē belli uirtutibus, pacis artibus præstisſe exi-
stimas? Ego uero Romanam, atq; id ipsum etiam tum sen-
tiebam: cū illa de laudibus Fancorum à me dicerentur. Sed
tum causā theatrōq; seruiebam, meo nullo medijs fidius
res uestras exagitandi insectandi ue confilio. At sic in Ro-
manos multa dixisti. Non multa bone adolescens, non
multa

multa, si cui ea aestimare uacet, quae uel ex annalibus uestris cōgeri, uel ab homine, cui nomen Romanum in odio esset, confungi potuerunt. Septem sunt, ad summū octo crima, eaq; cum ex historijs uestris deprompta, tum uerò ijs locis accommodata, quibus Franci sine controuersia uincerentur. E quidem cum nulli apud Francos mihi uiri principes occurserent, quos Africanis uestris, Asiaticis, Arabicis, Numidicis, Macedonicis, Parthicis, alijsq; quos deuictarum nominibus gentium antiquitas non sine causa ornasset, compararem: usus sum (ut quidam nuper uobis affirmabat) uel supra artem consilio, uel supra etatē ingenio. Quid porro dixi? Inductus est à me locus ille, ne sibi in eo Romanis Franci cedendum existimarent, quod duces suos subactarum prouinciarum nominibus minime nobilitassent. Sic enim eos moderationis suæ documentū cunctis gentibus præbuisse, quam omnes mortales in Romanis uehementer desiderassent, qui ea cognomentorum ratione uictoram uictis arroganter exprobrasse uiderentur. An non id totum uidetis fuisse consilij, non iudicij? id tum deniq; dictum, cum Francorū causam pro suscepiti negotij instituto aliter tueri atq; sustinere non possem? E quidem non video, quid istos perinde ac si ea una in re omnis reipub. fortuna disceptaret, & in concione tam insolenter quiritari, & hic tam miserabili uoce ciulare attinuerit. Nam uel Galli ipsi, quos isti barbaros, & furiosa quadam iracundia percitos uideri uolunt, tale quidam moderatius tulissent: ac si bene gentis ingenium noui, prolixe potius in eo risissent, quam cum tanta indignatione cōquerendum sibi fuisse existimassen. Eodem pertinet quod me de C. Cæsare scripsisse, crebris suspirijs querebantur. Nam cum uictorijs eius ciuilibus nihil haberem

berem omnino quod opponerem, dixi ea in re Cæsarem laudari non posse, nisi una Cn. Pompeium, M. Catonem, M. Brutum, C. Cassium accusare quis uellet, quos reipublicæ nomine in eum quasi tyrannū arma sumpsisse constaret. Eiusdem est generis quod Africanorum Scipionū alteri, plus felicitatis affuisse, quam consiliij, pro Q. Fabij Maximi & Albini Cæsaris iudicio contenderim: alteri, parū apud ciueis suos gratiae, quod nulla de interitu eius habita fuisset quæstio: cum interim diuo Ludouico (quem unum ambobus comparabam) tantum superfuisset & prudentiæ & uirtutis, ut etiam cum iam nullus esset, hosteis ipsos uirtutis sue admiratione ad petendam pacem, atque adeo deditiōnem faciendam coegerisset. Illud autem multo uel acerbiſimū, uel ad agendas tragœdias aptissimum istis uisum est, quod dum Francorum originem in honorem adducere ambitiosius contendō, cauillatus sum ctiā nonnihil Romuli famam in matris probro, fratribus nece, fugitiuorum asylo: cum in eo non equidem populi Romani contumeliam ullam, sed expressionem quandam ex comparationis contentione, & illustriorem Francorum gloriam pueriliter aucuparer. Opus hic mihi esse uideo P. C. uestra nō iam seueritate, quæ ne in me cum ipso patriæ amore exasperetur, tum uero harum rerum commemoratione incendatur, hauid parum t̄imeo, sed uestra lenitate potius ac mansuetudine, sed plane Romana animi altitudine, atque etiam humanius institutorum hominum æquitate, qua par est hanc rem totam æstimetis. Neque enim famosi in uos aut carminis, aut libelli autor dici possum, quando nec nomen reticui meum, nec occultum quicquam prodidi, neque ob publicum aliquod priuatūm uerū crimen capitī causam dico: sed quod olim, inter

inter rhetoricas exercitationes de Gallorum laudibus, ne-
 scio quid meditatus, populi Romani nomen exagitasse ui-
 dear. Itaque patriæ charitatem usque seponite dum huic
 criminis respondeo: aut si id fieri nullo potest modo, saltem
 eorum qui doctrinæ studijs liberalius exculti sunt, animi
 æquitatem, cum uestra ista erga patriam pietate in consi-
 lum adhibete: arbitreminiq; non me, qui reus uester sum,
 sed ciuem Romanum natum aliquem pro me dicere, à quo
 liberius omnia, minore que inuidia quæ in rem meam addu-
 ci possunt audiretis. Ego enim, si quod ulcus attigero, id
 non tam curandi animo, quam refricandi exulcerandi que
consilio tractare permultis videbor. Dicam uera esse ea,
 quibus dum Frācos orno, populi Romani dignitatem per-
 strinxisse existimor? At id isti in uos dictum esse statim in-
 terpretabuntur. Dicam falsa? At id erit sermonem ijs dare
 qui à me ea omnia ex annalibus & clarissimis rerum ue-
 strarum monumentis sumpta esse non ignorant: ut altera
 quidem ratio mendacij turpitudine nō uacet, altera etiam
 præsens periculum denunciet. O' præposteram & odio=Enlamatio
 sam respondendi necessitatem. O' iniquam fortunæ meæ
 conditionem: cuius oratio, iudicum sit incitatio: silen-
 tium, rei supplicium: si nego, sum impudens & astutus:
 si defendo, inuisus: si taceo, dānatus. Quò me uertam Pa=interrogatione
 tres conscripti? Quid inter optimam conscientiam & dubitacione ad multa
 pessimam fortunam destitutus, consilij capiam? Agnoscam
 culpam? deprecer poenam? At uero id sit me fontem fa-
 teri, id innocentiam meam prodere: qua quidem una frē-
 tus, nec iudicium uestrum detrectauī, nec iudicū quen-
 quam initio reieci. Proinde peto à uobis P. C. ut cum uos
 hic quidem iudices sedere memineritis, tum uobis, quoad
 res feret, persuadeatis, nō uestram hic agi causam, sed rem
 c ad ho

ad homines uobis præterquam nomine prorsus ignotos
pertinentem, in iudicium deduci. Sic enim certe ut etiā ci-
uium Romanorum personas non deponatis, tamen (quæ
uestra religio est) nec litem hanc uestram facietis, nec tam
me reum, aut eius cuius arguor criminis factum iudican-
dum suscipietis, quam consilium in ea re meum & causas
& tempus considerabitis. Atq; illud primum rogo, animis
uestris infigite, eum improbe facere, qui in alieno interpre-
tando libro ingeniosus uideri cupiat. Simul & me in Pop.
Romanū nihil unquam de industria scripsisse: quod qui-
dem uel ipsa libelli illius inscriptio satis arguit. Nam qui
in aliquem scribit, eius titulum modi prætexit, quo animū
suum statim significet. Sic M. T. Cicero in Catilinam,
in Verrem, in Vatinium, in Sallustium, in Pisonem, in Rul-
lum, cæterosq; quos male odisset inuectus, ipso confessim
indice inimicitias eis denunciat. Ego autem de Fracorum
laudibus eam orationem inscripsi, non me hostem popu-
li Romani sum professus. Deinde illud uobis succurrat,
eam nunquam à me editam fuisse. Quin etiam simulatq;
prolatum audiui, eam me rem pro eo sanè ac debui gra-
uiter & moleste tulisse. Postremo tantum abesse ut ea in
contumeliam nominis Romani scripta uideri possit, quod
isti calumniantur, ut in ea populi quoque Romani glo-
ria magna ex parte contineatur. Nam si eò tota spectat
ut declaret Francos populo Romano omni laudis gene-
re esse uel exæquandos uel anteponendos: uirtuti nimi-
rum uestre testimonium dedi, quos tanti feci, ut uos nubi-
solos mortalium diligendos existimarim, quorum colla-
tione res Francicas in cælum extollerem. Nemo hic de
me querat, quam bona id fide fecerim: sum enim uobis
iam testatus, uoluisse me tum foro uti, ac etiam dicendi
uires

uires in re multo difficilima periclitari, non item populi
Romani res in contemptionem adducere. At sic in Ro-
manos dixisti. Duxi non nihil, fateor: sed non tam aspe-
re quam tute protulisti, neque accusatorio animo, neque
sanè ea mente ut in populum Romanum inueherer, cuius
nomini semper assurgo, atque à cunctis mortalibus idem
faciendum censeo. Plurimum refert, quo quid animo di-
catur aut fiat. Lege Cornelia de sicarijs & ueneficis non
tenetur is qui sine dolo malo hominem etiam necauerit:
& iniuriarum tenebitur, qui nullo conuiciandi consilio
iniurium aliquid dixerit? Multa dixit M. T. Cicero in
Gallos, in Græcos, in Asiaticos, plura contra Iuriscon-
sultos & Stoicos, plurima aduersus multitudinis leuita-
tem, Patriciorum superbiam, Tribunorum impotentiam:
nunquam uero copiosius quam cum in homines sibi amu-
ciissimos, omniumque confessione integerrimos M. illum
Catonem, & Ser. Sulpitium peroraret. Ecquis ei tamen
eas ob res negotium faceſſiuit? cur ea quæ in Senatu, in
concionibus, in iudicijs dixerat, memoria mandauit,
peruulgauit' que sine ulla offensione, sine ulla odio inui-
diæ ueſſipitione? Nempe quod non id operis habuit ut
in eos diceret, sed ut causæ quam tuendam suscepisset, fi-
dem & auxilium suum præstaret, quod ipsum omnino ni
ſi aduersariorum eleuata in primis fide & immunita auto-
ritate, irritum fore iudicabat. Semper enim ita habitum
est atque obseruatum Patres conscripti, licere si non ab
historiarum scriptoribus aliquid argutius fingi, quod si-
bi tamen illi interdum ſumpferunt: at certe Oratori-
bus, modo id rei illorum conducat, humilima attolle-
re, sublimia deprimere, simulare, diſimulare, atque
etiam, si cauſa id postulet, interdum officioſe aliquid

ementiri. Quòd si hoc M. T. Ciceroni eloquentiæ Romæ
næ autori & principi, uel in ipsis iudicijs, Romæ non mo-
do licuit, sed etiam summa laudi datum est, cum apud ui-
ros sanctissimos res serias grauiter tractaret: cur nā isthuc
idem in fraude capitali Christophoro Longolio ponetur,
Limini inscholis, inter pueros, in re ludicra pueriliter de-
clamanti? Ille cum in iudicio quodam illi obijceretur,
quòd contrà sentiret atque olim dixisset, magno omnium
assensu respondit, siquid huiusmodi dixisset, neque cogni-
tum sibi commemorasse, neque se pro testimonio dixisse,
& orationem illam potius temporis sui, quam iudicij &
autoritatis fuisse. Idem ego accusatoribus meis, sed multo
mehercule iustius, de cunctis illius libelli inceptijs semel re-
spondeo. Quæcumque inter pueros, circa extremæ pue-
ritiæ & ineuntis adolescentiæ nostræ annos, plane pue-
rili cōsilio dixi, ea mihi postquam virilem togam sumpsi,
nunquam placuisse. Inspiciendum esse non quid ego id
&tatis, cum iudicandi maturitas abesset, Limini declama-
uerim: sed quid anno superiore de Pop. Rom. maiestate
hac in urbe serio scripserim. Natū uero me tum fuisse cir-
citer annos octodecim, hoc est, nondum iuste pubertatis te-
pus expleuisse me, cum ea de re apud magistros dicerem,
nec accusatores mei negant, & uos ex eo potestis cognoscere, quòd à puerilis &tatis excusatione incepi, ut si eam
orationem in Pop. Rom. inscripsisse, impudentissimeq;
in ea quicquid in Busiridem, Phalarim ac Dionysium ty-
rannorum crudelissimos uel ex cogitari potuit effudisse,
atque ita in manus hominum tum misisse: meo tamen iure
nunc peterem à uobis, contra quos scripsisse, id auxiliū
quod &tate minoribus leges uestræ naturali quadam & equi-
tate pollicentur & præstant, quòd constet imbecillum esse
atq;

atq; infirmum eius etatis consilium, quæ nec tacendi nec loquendi leges satis nouit. E quidem nescio quantopere aduersarijs meis illa probetur oratio: mihi quidem certe placuit nunquam, non quæ calumniatoribus istis uidetur proposita (quis enim has timuisset insidias?) sed ut plane puerilis, nec scriptione aut lectione cuiusquam magnopere digna. At uero eius eram conditionis, ut uobis negotium facessere potuerim, atque eo etiam uoluerim. Ut hic P. C. omittam, quām iniquum sit ut nobis persuadeamus, eos omnes uelle nocere, quibuscunque lēdendi facultas adsit: non ea tamen est nominis Rom. infirmitas, ut cuiusuis obtrectatione labefactari queat. Male mihi profecto de republica mereri uidentur, aut certe non satis populi Rom. magnitudinem intelligere, qui puerilibus nugis huius urbis splendorem prestringi potuisse existimant. Quod enim sēpe alias sum testatus, hæc est uera, & cui nulla comparari potest alia, populi Rom. gloria: ut nullius unquam laudibus extolli, nullius unquam obtrectationibus deprimi posse. Sed cuiusnam ego tum autoritatis inter Gallos esse poteram, adolescentulus, priuatus, hospes, nullo penè rerum usu ornatus, nulla literarum cognitione commendatus? Illustris ipse (credo) locus, & uobis infestus populus ingentes illos mihi spiritus excitauit, atq; me sua opportunitate ad has inimicitiás audacter suscipiebas, fortiter uobiscum gerendas iritauit. Hoc quām ridiculum sit, ipsi P. C. uidetis. Observuant enim nomen Romanum Pytones, si qui usquam alij, fatentur que imperij uestri auspicijs inde expulsam barbariem, inde sublatam inscitiam, inde superstitionem ac uanos Deorum cultus depulso esse. Quicquid habent elegantiæ, morum, literarum, sacrorum, id uobis totum, maioribusq;

c 3 uestris

uestris acceptum benigne ac grata referunt. Quæsitum
 esse à me fortasse locum ad dignitatem populi Rom. ui=
 landam, et si falso, non sine causa tamen quis suspicaretur,
 si Lutetiae Parhisiorum, hoc est, in ipsa Galliarū luce, at=
 que illic in celeberrimo Franciæ nobilitatis conuentu eam
 orationem in uos pronunciasssem, quam me Limini Pycto=
 num oppido in uulgo ignoto, nec pleriq; uestrum, nisi
 admodum historicis adhuc cognito, ibi q; in cœtu adole=
 scientium legitimo Quiritum iuris studio deditorum, ha=
 buisse satis constat. His omnibus addatur Patres conscri=pti
 ipsa parendi necessitas. Nam quod accusatores mei ex
 composito belle semper dissimularūt, ad præceptum, quin
 ad præscriptum etiam eius studiosæ societatis principum,
 eas tum quidem partes egimus: quod uel ex ipso orationis
 illius principio, uobis statim liquere poterit. Heus tu, re=
 cita exordium. EXORDIVM. Audistis ut id nūhi mu=
 neris ij decreuerint, quorum in me tum quidem imperij
 ius esset: ne id tamen ullo in uos odio statuerunt illi, qui
 se monumentis disciplinis que uestris ad omnem libera=
 lem doctrinam eruditos esse prædicarent: sed ut ea in re,
 quæ plurimum negotij habere uideretur, ingenij (cre=do)
 mei periculum facerent. Quid: ipse uero non face=rem:
 at præcipiebant, non parerem: at recusare non po=teram, non sic agerem: at præscribebant. Feci equidem
 quod nemo uestrum id ætatis, id conditionis, in eum de=
 ductus locum, facturus non fuerit. Quod si illa ipsa, de
 qua nunc demique accusor, me uobis & ætatis infirmita=te,
 & necessitatibus ui excusat oratio (si quid enim à me of=fensum est, illos eiusce delicti culpam sustinere par sit,
 qui autores fuerunt, non me, quem dicto audientem esse
 oportuit) si ea igitur orationis illius est ratio Patres con=
 scrip

profundus

Scripti, ut me culpa vacuum esse perspicue ipsa ostendat,
deponite tandem, deponite, si quam forte falsam de meo
in populum Romanum odio propter istorum calumnias Lemma
opinionem accepistis. Facta mea cum eorum uerbis aper-
te pugnant. E quidem si de nomine Romano male senti-
rem, non sic causam meam apud uos agerem. Ciuitatem
uestram aspernarer, non de ea retinenda tam uehementer
laborarem: urbem Romanam relinquerem, non hoc ætatis
incollerem: mores uestros infamarem, non tot uolumini-
bus populi Romani laudes celebrarem. Quod si res ipsa
plane reuinct est me singulari erga S. P. Q. Romanum.
et fide et benevolentia: iacta sunt puto defensionis no-
stræ fundamenta. Nec enim certe committetis, ut homi-
nem qui et usu et uoluntate et legibus uester iam sit,
sueq; in populum Romanum obseruantiae haud obscura
argumenta proferat, hodie repudietis. At fuiſti quondam
huius urbis nomini ac sedibus inimicus. Hoc si cui dederο
Patres conscripti, num me is propterea ciuitate uestra pel-
lendū uere statuerit? Fuerunt huic urbi nō inimici modo,
sed etiā infestissimi hostes Sabini: eos tamē quis nescit, eo= proficit Romanorum hos
er
dem à uobis ciuitate donatos die, quo quidem exercitum
excidendæ urbi admouissent? Quid L. Fulvius rebellan-
tium Tusculanorum Imperator: an non hic eodem anno
quo fuerat populi Romani hostis, Romæ triumphauit
de ijs, quorum ipse dux fuerat? Sed quia video qua de-
re apud quos agam, non committam ut in re nimime du-
bia et illustri multus et insolens cuiquam uideri pos-
sim. Nemo est enim qui ignoret, propriam hanc sem-
per suis populi Romani uirtutem, ut etiam recipien-
dis hostibus hanc ciuitatem augerent, eos que non non diligenter quæ
tam ui et armis, quam humanitate ac liberalitate uin-
cerent.

cerent. Sic Crustuminos, sic Albanos, sic Volskos, sic
Aequos, sic Tuscos, sic deniq; Campanos ipsos, bello fra-
tos, imò uis subactos, atque adeo captos non Quiritum
modo numero duxistis, sed patrum quoque insignibus ho-
nestandos atque exornandos censuisti. Causa mea quan-
to est iustior? siquidem neque à uobis hostium numero un-
quam sum habitus, neque ego contra uos arma cepi, neq;
sanè de bello uobis inferendo unquam uerba feci. At fuiſti
nobis inimicus. Si fuifsem aliquando alieniore à uobis ani-
mo, qui certe semper in uos fui amicissimo: num ideo mihi
uobiscum in gratiam redire non liceret? Si uos me etiam
Vatinio peius aliquando odijsetis: num offensionem tan-
dem deponere populo Romano turpe duceretis? Certe
apud maiores uestrros, multo semper præclarius est habi-
tum, iniurias beneficijs uincere, quam eas mutui odij per-
tinacia pensare. Quòd si implacabiles iracundias eſſe uis,
nec offensum quenquam exorari, nec cuiquam concedi à
quoquam ne ætatis quidem ratione finis: Christianum
ego te, ego Romanum, ego hominem omnino eſſe putem⁹.
Quis enim ab omni, humanitate tam remotus est, quin ani-
mum ab odio ad amorem aliquando deflectat atque tradu-
cat? Hoc ipso sunt plane ingenio, humani generis calu-
mniatrices furiæ illæ, quas paci et ocio inuidere, sempiter-
nis hominum contentionibus & bellis excitandis infiam-
mandisq; delectari uidemus. At quibusnam indicijs me à
populi Romani dignitate semper abhoruisse iudicas? An
tibi hostilis animi fidem, una illa facit oratio, quam ante
tot annos, cum nondum per ætatem iudicium facere, atque
etiam cum excusatione errare possem, de laudibus Fran-
corum conscripsi? Si odio magis quam iudicio obfir-
matus aliquo, satisfactionem meam nihil dum accipis,
nec

nec mihi permittis ut secundum leges uestras sententiam
meam interpreter: nec te impudentem ipse putas, qui in
alienis scriptis argumentando ingenium ostentes tuum,
præsertim ipso coram reclamante autore. Illud mihi ue= proverbium
lim interroganti respondeas, Romanos ne tum à me uiol= proverbium
ari potuisse arbitreris an debuisse? Læsos quidem illos
oportuisse non dices, quibus omnes omnia debemus. Sed
nec sanè uiolabileis fuisse: nisi tam ruditus es, ut culicem ele= proverbium
phantu nocere posse existimes. Quòd si Romanos lède= proverbium
re nec potui, nec debui, sequitur illud certe, ut nec etiam
uoluerim, nisi me puerilis atatis uitio lapsum tum quidem
putas. Quo sanè facta sim leui potius (quod aiunt) bra= proverbium
chio obiurgandus, quam in exilium ea re muttendus. Si= proverbium
quidem ita natura comparatum est, ut ea sanæ mentis ho= proverbium
mines uelint & tentent, quæ se uel honeste, uel non si= proverbium
ne aliqua spē aggredi existimant: ab his omnino absti= proverbium
neant, quæ se turpiter frustra' que moliri arbitrantur.
Causa nos extimulat, & conatum comitatur: spes quasi
ducem se præbet, & exitum qualem optamus nobis polli= proverbium
cetur. At quæ causa mihi tandem aut spes esse eo potuit
tempore, ut in nomen Romanorum debaccharer? Quòd
id rationibus meis conduceret: at nihil æque officere po= proverbium
terat. Quòd dignitatis aliquid nobis afferret: at ea re
ne fungi quidem possit quicquam indignius. Conficien= proverbium
di negocij facilitas: at nulli unquam mortalium eius fa= proverbium
cultas contigit. Impunitas: at hanc nemo in tanta inge= proverbium
niorum uestrorum uel felicitate uel fœcunditate sperauis= proverbium
set. Sed quodnam mihi paratum uidebam, si uos male= proverbium
dictis lacefferem, præmium: nempe iustum cunctorum
mortaliū odium. Hoc ipsum (credo) colligebam: &
homo, ut uos quidem iactatis, uulgi sermonibus deditus:

c s ut ue

ut uero res habet, ad omnes bene audiendi partes cre-
ctus, ea nimurum ratione in hominum odia prudens &
sciens incurrebam. Causam equidem, inquis, nullam pla-
ne video: quandam autem animi tui ad nos infectandum
inductionem uoluntatemque perspicio. Deus faceret in-
geniose adolescens, ut & tu, & subscriptores tui, sensus
meos omneis Lynceis quibusdam oculis perspicere atque
intueri possetis. Mitioribus certe uobis hac in causa ute-
rer. Nunc autem quando ea uoluntas hominis est, ut sua
sponte ipsa cognosci non possit, sed signis tantum & ar-
gumentis colligatur, unde tandem de illa mea in popu-
lum Romanum malevolentia coniecturam facis? ex fron-
te? ex uultu? ex oratione? quibus me uobis amicissimum
semper significaui. An quod Romae quam in germana
patria uiuere maluerim? quod praefamiliari ciuium Ro-
manorum usu à popularium meorum consuetudine penè
refugerim? quod Italiae & urbis Romae laudes tot uo-
luminibus commendarim? An uero quod me Senatus po-
pulusque Romanus priuatim omni officiorum genere est
prosecutus? publice uero non ut multos coram petentes
tacito tabellæ suffragio, sed ut adhuc neminem, uiua o-
mnium uoce absentem ciuitate donauit? Quid ait? obsi-
gnatis te mecum tabellis agere, nec ad rem pertinere, aut
quam bene de uobis hodie sentiam, aut quid secutus,
quidque tum spectans orationem illam conscripserim,
modo omnino conscripserim? Erras bone adolescens, er-
ras, si ex euentu & casu, non ex consilio & cogitatione
reorum facta expendi in iudicijs dijudicari que existimes.
Mala mens, malus animus: non item rerum exitus legibus
uindicantur. Quod ni ita esset, & furiosi profecto, & in-
fantes

fantes pueri, atque adeo ipsi illi qui in damnatos Magistratum iussu animaduertunt lictores, legum pœnis obstringerentur. Cum quid recte fit, nulla quidem benefacti ratio exigitur, quod omnes causam ipsa honestate satis explicari intelligent. Contrà cum quod insigne maleficium aut scelus editum nunciatur, neque id temere credimus: & is quæ spe, quo metu, quo emolumento adductus ad maleficium accederit, confessim requirimus: non ignari *hominis proprium* hanc esse hominum uitam, ut ea quæ bona sunt, sua sponte appetant: quæ uero mala, suapte natura auersentur & fugiant. Certe si latronem roges, cur in viatorem sit gratus: ad spoliandum quidem egestate, ad iugulandum au tem hominem, ne ab eodem posterius aut occideretur aut proderetur ipse, inductum se fuisse afferet. Itidem si quis L. Catilinam interrogasset, cur in patriæ excidium coniuraret, quod æris alieni magnitudine oppressus, stante republica, aut certe sine civili bello, stare non posset, ipse nimurum respondisset. Adeo nemo adhuc mentis compos homo inuentus est, qui se gratis peccare, atque sine ulla commodi spe, animum ab honestarum rerum cursu ad malâ consilia deflectere atque traducere sataretur. Ergo aliquid, inquies, habueris ipse necesse est quod te ad declamationem illam impelleret. habui e quidem, sed unam illam & ueram uoluntatis meæ rationem, ut Francos ornando studio si illius conuentus præfectis morem gererem. Imò uero ut in eo te disertum ostenderes, si Romanos acerbius depresso, Francos melioribus, quam par erat, laudibus extulisses. Fac me diserte adolescens, tam ambitionum id ætatis extitisse, ut obiecto false gloriæ splendore mentis meæ aciem præstringi facile sim passus, hoc est, ut in causa non admodum facili, ingenuum

nium exercere , aut etiam ostendere uoluerim meum: num ideo me hostili in uos animo fuisse constabit ? Non constabit, opinor : & qui rem durius etiam quam par sit interpretabuntur, expostulatione me admonendum , non populi Romani odio subiiciendum , neque exilio & ignominia multandum esse censem. Quid audio ? iracundia me atque odio percitum in populum Romanum esse inuectum ? Quam tu mihi hic iram narras ? quod odium commemoras ? In iurioum certe aliquid , quod me in populu Rom. incendiisset, ut tibi fides haberetur, abs te allatum esse oportuit. Quod si tum non modo nullis à populo Romano iniurijs affectus fueram, sed maiorum potius uestrorum beneficijs allectus , ad bene de uobis sentiendum prouocabar : non plane uideo , quid de meo in populum Romanum odio ab istis fingi posset . Scilicet post annos mille sexcentos indignabar Gallias ac Germanias à uobis tot ante secula armis deuictas atque subactas fuisse. quasi uero non eadem esset Italorum & omnium penè gentium causa: quas eo tamen imperium uestrum animo tulisse scimus, quo solent grati minimeq; stulti homines medicorum diligentiam complecti, etiam ut illos sectionibus & cauterijs & amaris potionibus in depellendo morbo usos esse recordentur. Etenim salutari illa uestra atque adeo nostra uictoria(uicti enim uicimus) certe, quod constat, perieramus, nisi tum sic periremus. Salutari inquam illa uictoria effectum est, ut exuta feritate humanitatem indueremus, litteras amplexaremur , barbari que & dici & esse desineremus. Ob hæc uestra in nos merita , ego uobis infestus? ego nomini Romano inimicus ? qui si quid doctrinæ, si quid uirtutis , breuiter siquid preter formam hominis habeo , id equidem populo Romano , iam tum, ut par erat,

erat, libens & ingenuo totum acceptum referebam. Quare si nec ulla in uos odio causa esse potuit, nec ea res mihi bono futura fuit: denique si in uos ire & contra honorem uestrum niti, neque debui, neque potui, neque uolu, neque uero in populum Romanum illa oratio, sed de laudibus Francorum est inscripta: non sane intelligo, quodnam hostilis animi argumentum, uir probus ex ea possit ducere, nisi quis fortasse iustitiam Carneadi, ualetudinis firmatatem Phauorino, Synesio comam, Ioanni Pico sermonis elegantiam, Erasmo Roterodamo sapientiam exosas inuisas que fuisse, eam sibi ob rem persuadeat, quod dum his uirtutibus contrarias in pestes, animi quidem causa, sed luculentis tamen uerbis dilaudant, eodem quoque tempore in hæc ipsa tum naturæ dona, tum doctrinæ præsidia liberius cauillantes ludant atque dicacius iocentur. Verum id sibi quidem facile persuaserit nemo: quin idem multum de se doctis hominibus risum statim præbeat, quasi oratoriæ exercitationum prorsus ignarus, & illius communis prudentiæ penitus expers, qua seria à ludicris secernuntur. Quare si Francos olim, inter pueros, puer ipse ita laudauit Romanis interim uidear non pepercisse: non id ullo equidem in uos odio, quod ipsum nullum esse potuit, nullum certe fuit, sed uel ætatis imperitia lapsus feci: uel quia hæc sacra non aliter constare arbitrarer, qui hanc comparisonis rationem esse acceperam, hoc contentionis genus, imò uero hanc rerum naturam, ut in talibus conata efficere non posses, nisi ijs quæ plurimum extarent solerter aliquid detraxisses: & ea nō esse tanti quanti omnium opinione fierent atque aestimarentur, ostenderes. Proferrem hic ego uobis Patres conscripti utriusque linguae
aut

autores quamplurimos (ne quis id à me sine exemplo fa-
 tum existimet) qui etiam in re seria nūram illam uirtu-
 tum uitiorum' que secuti affinitatem, hoc uel artificio uel
 supra omnem artem consilio non impune modo, uerum=
 etiam summa cum laude sunt usi. Atqui nolo in re etiam
 paulò humanius institutis confessa curiosius laborare,
 cum alijs de causis multis, tum uero ne prudentiæ peri-
 tiæ que uestræ parum uidear confidere: quos quidem
 scio, quod olim Metrodorus Sceptius, Didymus Alexan-
 drinus, Fabricius Vciento, Lucianus Syrus, Aurelius
 Augustinus, Paulus Orosius, Bernardus Clareualla, nu-
 per uero Ioan. Campanus, Baptista Matuanus in uos
 maiores' que uestros scripscrint, sæpe legisse, semper ri-
 fuisse. Quanquam eorum durior est causa, qui quidem
 serio nomen Romanū insectari uideantur: ut mihi omni-
 no sperandum sit, uos, qua estis animi tum facilitate, tum
 etiam altitudine, eo sanè illius concionis uerba quo à me
 dicta sunt animo accepturos: ac siquid in ea insit flagi-
 tij, id uos omne aut rerum imperitiæ, aut rudibus plane
 annis, aut omnino necessitati, aut etiam scholastice liber-
 tati, aut his omnibus simul condonaturos: æstimaturosq;
 potius, quòd plane adultus relicta domestica sede huc me
 contulerim, & populi Romani laudes literis mandarim,
 quām quòd extrema pueritia inter æquales meos, nescio
 quid, neque id uero ipsum meo, sed alterius arbitratu, in
 uos dixisse existimer. Hic enim pleniore iudicio, atque
 dedita opera conscriptas quinque orationes paucis qui-
 busdam unius declamatiunculae uersibus obieci, perpe-
 tuum (nisi me bona posteritatis spes fallit) meæ in hanc
 rempub. pietatis atque obseruantiae documentum. Hinc
 iam deinceps ad reliqua accusationis istorum capita tran-
 sirem

sirem Patres conscripti, nisi ea esset ipsorum, ut nihil acerbius dicam, improbitas, ut me primum in concione, deinde hic etiam publicè accusasse non contenti, occultis quoque postremo calumnijs res uestras cum apud multos priuatim exulcerassent, tum uero apud imperitum uul-
gus in circulis identidem exagitando in summam inuidiam adduxissent: periculum hoc mihi grauius conflare conati, quo minus mihi aduersus tectas suas insidias quicquam praesidijs affore sperabant. At qui operæ premium est cogno-
scatis quam inertibus illi quidem apud uiros graues, ue-
rum longe grauiissimis apud crassas uulgi aures argumen-
tis in me grassetur. Hui (inquiunt) ergo faciem iste nobis fœda cicatrice deturparit: nec æquum putabit, ut eam contumeliam ad animum reuocantes ulciscamur, etiam si nullo nocendi consilio ea nos afficerit? Hoc ipsum est il-
lud P. C. nobile, ex cui certe manus dare necesse fuit, ar-
gumentum: quo non modo comatulos istos ac pallidulos,
sed retorridam etiam ex cæsariatam illam lanistarum gla-
diatorum que turbam in me tumultuose nuper armarunt
omnem, nemine ipsorum non perquam ridicule cius quæ
à me reipub. imposta esse diceretur cicatricis modo osten-
tante altitudinem, modo lugente deformitatem: cum in-
terim ingeniosi homines nihil omnino discernerent qua-
tenus grauiissimi uulneris ratio à leuißimorum uerborum
causa disideret. At uidete Patres conscripti quam leui
impulu, magni persæpe in nonnullorum hominum ani-
mis motus excitentur. Isthaec enim eadem ipsa est præcla-
ra illa fœda cicatricis similitudo, quæ quosdam istorum ad
me de medio tollendum ita scilicet incitarit, ut statim in-
ita coitione, facta que manu, quemadmodum cuique
commodum esset, constituerent eorum partim me uel
in me

in medio foro obtruncare, partim si huc ad causam dicendam uenissem, indemnatum de saxo Tarpeio præcipitare, alij in profluentem de scalis Gemonijs deuoluere, alij ad Gallorum busta mactare, alij si res palam minus procederet, clam ueneno tollere: frumentes hac sece uia tum iniurias Pop. Rom. fortiter ultum ituros, tum gratam maiorū suorum manibus uictimam immolaturos, tum uero cætros mortales à populi Rom. insectatione, magna sui nominis commendatione, deterrituros esse. Quasi uero amentis simi homines, immane uestrum illud facinus animo conceptum plane gladiatorio, susceptum puerili consilio, non contra omnino uobis casurum fuerit atq; speraueritis: et mihi quidem immortale nomen allaturum, uobis autē ipsis sempiternam infamie notam inusturu: nequid hic de præsenti uestra omnium poena dicam, quam & uiui ijs qui hic res capitales iudicant, & mortui Deo optimo maximo persoluissetis. Sit mihi populus Romanus propitius: nam si uel nomen eius tam male odisem, quam illud religiose semper obseruavi, uel me aliena iniuria multorum exemplo immortalitati commendare uellem, non mihi quidem fu gienda, sed prorsus esset huicmodi mors appeteda, quæ mortuo mihi gloriam, intersectoribus meis perniciem, huic urbi inuidiam non sane leuem esset allatura. Nec enim certe deessent Fraci Germaniq; haud pauci, sed nec Itali etiā pleriq;, nec Romani denique scriptores nonnulli, qui necesse meam quasi indignam deplorent, ciuibus que suis uitio aperte uerterent, quod non mediocris expectationis iuuuenem, ob puerile dictum, cuius etiam ipse rationem fuisse uel apud iniquos iudices paratus reddere, in media urbe crudeliter trucidari suissent, id' que cum iam eius rei iudicium apud eos agi cœptum esset. An non hic animis cog

nis cogitationeq; prospicitis quid ad eum nuntium cuncti mortales suspicaturi fuerint? quid de populi Romani fide atque iustitia iudicaturi? apud quos iura & leges ~~paris signum~~ sillerent, uis & arma dominarentur: sub quorum conspectu unus à multis, inermis ab armatis, incautus à partibus, hospes, imò ciuis à ciuibus, reus ab accusatoribus, atque adeo ab iudicibus ipsis prius telis quam sententijs circunuentus cecidisset. Quod cum me uel hoc solo uitae meæ periculo tam multis commendaueritis, causam meam aliter profecto neglecturis, an non si huc tam humanæ cædis accedat iniuria, nomen quod cum uita mea extinctum irsperatis, scelere uestro magis ac magis illustretur? Illustretur, opinor, nemine sibi non persuasuro, magnum quiddam omnino in me fuisse, quare me populus Romanus ad causam dicendam non esset ausus admittere. publico enim, non priuato consilio, uitam mihi ferro erectam esse interpretarentur, summissis percussoribus qui me indicta causa occiderent, quoniam auditus damnari non potuissim. Nam ob scholasticam ex puerilem illam declamationem nunquam tantum animo nefas hac quidem in urbe conceptum crederent: aut si qui illud sibi persuaderent, profecto Romanos cum parui, tum uero etiam praui ingenij ea de causa damnarent. Quo quid indignius? Haud equidem scio, quo nam iudicij euenter hinc sim discessurus: spero quidem eo, quem perpetua mea in populum Romanū obseruantia postulat: sed certe quoquo modo res mihi ceciderit, fore non dubito, quin hac uestra conſpiratione haud paulo plus additum ad memoriam nominis nostri, quam ademptum de fortuna à multis existimetur. Quare si ex uestra uobis salus curæ est (nec enim defuturi sunt uel Romæ homines, qui iniurias

d

rias

rias meas persequantur) & populi Romani nomen, in quem tota interitus mei inuidia derideretur, ab omni criminis suspitione integrum uigere optatis, & maiorum uestrorum, quos ego pro mea uirili parte celebraui, manibus rite litatum cupitis. minas deponite, quae nec uos decent, nec eum qui se ciuem Romanum esse meminit terrent. Sicas abicite, quibus latrones grassari, non uiros bonos succingi mos est. Certe lex Cornelia non eos modo ultiore gladio persequitur, qui hominem occiderint, sed quicunque cum telo hominis necandi causa fuerint. Ad summam, si uel exigua patriæ dignitatis ratio, aut posterritatis etiam ueracundia ulla apud uos adhuc residet: ne uitam meam uel palam ferro, uel clam ueneno petatis. petatis autem? imò uero à Deo optimo maximo precibus contendite, ne me aut hic, aut in Italia usquam hoc tempore morbus ullus consumptum extingat. Hoc enim si cōtigerit, nulla uos sane iniqua ratione ab ea infamia uindicabitis, quin me inuidia à uobis è medio sublatum esse socij pariter et fœderatæ liberæq; gentes omnes sibi persuadeant. Maximi porro huius uestri, atq; utinam etiam sapientis animi, quem uos patriæ honori deuouisse iactatis aduersus eos qui se uobis inimicos profitentur, ea qualicium est uia, periculum facite: non in eum, qui hac una in re, iam tot annis totus elaborat, ut suam erga s. p. q. Romanum benevolentiam apud omnes mortales illum reddat, uel etiam toti posteritati grauiissimis certissimisq; monumentis testatam relinquat. Veruntamen ut turpem illam oris cicatricem ab istorum facie aliquando tollamus, sanequām parum abest quin eos Romanos esse negem, qui putant ulla à me nomini Romano notam inuri potuisse. Nec enim tantarum eram uirium, ut ullum Rei-

pub

publicæ uulnus imponerem : neque uero tam tenues popu-
li Romani opes , ut plagam ullam à me acciperent . Cica-
trix autem ulla ibi esse qui potest , ubi nullum fuit uulnus ?
Et quando hæc iniuria tota uerborum est , quid (oro)
præclarius quam si ab eo laudere , qui te prius conuijjs
omnibus uexauit ? Qui primum laudibus aliquem in cœ-
lum effert , assentoris euitare suspensionem plane non po-
test : qui à uituperatione commendat , hic locuples uerita-
ti testimonium afferre atque indicium præstare existima-
tur . Quod si egregiam illam declamationem tantarum esse
uirium arbitramini , ut satis sit ad aspergendam indelebi-
lem huius Reipublicæ dignitati maculam , uos sine dubio
iustius , qui me accusatis , quam ego , hoc estis nomine accu-
sandi . Ego enim illam ipsam , cum alijs à me iam dictis
causis , tum uero ne'ue superstitiose credulis quicquam
suspicandi , ne'ue peruersæ ingeniosis calumniandi an-
sam præberem , quoad potui compressi . Ego editam æ-
gre , nec id quidem dissimulanter tuli . Ego , ne in mul-
torum hominum manus proueniret , & per me ipse cura-
ui , & amicis ut idem facerent negotium dedi . Ego , ne
quis meum in ea de populo Romano iudicium inesse pu-
taret , quinque uoluminibus consecutus eram . Breuiter ,
ego medicinam quancunque potui attuli . Vos contrà
omnino , ipsi remedia omnia effudistis . Vos in hoc ulce-
re tanquam unguis extitistis : uos illam uulgo commu-
nicasti , dum eam ex Latina Italicam , nec id bona ta-
men fide , facitis . Vos sexcentis exemplaribus descri-
ptam , toti urbi diuisistis , & ut in cæteris Italæ oppi-
dis esset , procurasti . Vos in eam opinionem homines ,
ut à me serio scripta uideatur , adduxisti . Denique
uos , ut nemo eam legere iam non cupiat , effecisti ,

d 2 Nam

Nam ante has à uobis excitatas tragœdias , quotus illam
 quisq; non dico perlegerat (uix enim unus & alter, pauci
 certe strictim attigerant) sed in populum Romanum pa-
 rum esse honorificam audierat? Siquid in ea est, quo ciui-
 tatis huius existimatio lædi posse uideatur, non id quidem
 mihi, qui ne in apertum proferretur, omni diligentia pro-
 uideram, sed uobis certe uitio uerti debet, qui ut à cunctis
 mortalibus legi posset, curastis, & quantum in uobis est,
 grauem populo Romano iniuriam facitis, dum uos iniu-
 rias eius tanquam graues fortiter persequi gloriamini.
 Si à me facta esse ea omnia existimatis, quibus populi Ro-
 mani nomen illic uiolati contenditis: an non ijs ipsi uos
 fidem & autoritatem facitis, qui quasi ueris criminibus
 adeo turbulentे concitamini: & perinde atq; in Gallico
 tumultu, imo non aliter ac si Senones ad portas essent, uel
 etiam hostis in urbem iam receptus, populum Romanum
 non tam ad sagam quam arma sumenda cohortamini? nec
 enim de nihilo & uanis dictis Romanos cōmoueri quis-
 quam facile credat. Sinetiam uera, cur quæ uobis perpe-
 tuo silentio tegenda, quæ dissimulatione oblitteranda fue-
 rant, huiuscemodi concionibus retegitis, atq; istis uestris
 medicamentis R eip. uulnera exulceratis, nocetiore medius
 fidiis auxilio quam malo? Quod si nihil in illa est, neque
 facti, neq; iniurij, nec inde quicquam negotij aut ignomi-
 niæ Pop. Rom. impendet, ut nihil facile impendet: cur me
 in capitib; ex existimationis periculum tam crudeliter uo-
 catiss? Næ si uos Romanos esse homines meminissetis, ma-
 iorum uestrorum hisce in causis exempla secuti, decla-
 mationem illam risu aut contemptu exceptissetis, non his
 terroribus & concionibus uestris nobilitassetis. Atq; ple-
 beijs quidem istis facile ignoscas, qui nec se pugnantia
 loqui

loqui, nec facta sua inter se collidi satis intelligunt, & eandem dictorum, factorumq; rationem esse arbitrantur: putantq; se more imbecillum animantium grauiter lædi, si uel summissius inclamentur, uel etiam leuius contrentur. At illos quis iam ferat, qui cum se præter imperium uulgas multum sapere, sibi uulgo que etiam ipsi persuaserint, tamen quid hodie Roma sit ipsa, imo quid sit hominem Romanum esse, penitus ignorant? Sic enim isti censem, contemni tum à uobis recte puerilem illam orationem potuisse, si ut olim, sic etiam hodie Romani imperij opes florerent: quasi uero barbarorum sit, non iam Romanorum animis infitum atq; infixum, neque secundis rebus efferrari, neq; aduersis deprimi: contraq; eo magis erigi & confirmari, quo grauior & atrocior tempestas urgeat? O uocem auribus uestris indignam. O sententiam adhuc Romæ inauditam. Siccine uero cum fortuna etiam deponendam censes animi uirtutem? qua una freti, omnes fortunæ minas, omnes gentium omnium impetus, Romani & fortiter sustinuerunt & egregie semper contuderunt. Bello Punico secundo, cum iam uobis præter hanc urbem ex tanto imperio reliquum esset nihil, cæsis tot ducibus, tot legionibus, tot Consulibus, tot exercitibus, adeo magno animo ciuitas fuit, ut C. Terentio Varroni ex Cannensi illa clade, cuius ipse maxima causa fuisset, redeunti, & obuiam sit itum frequenter ab omnibus ordinibus, & actæ gratiæ quod de Republica non desperasset. Nunc autem in tanta rerum tranquillitate, in tam longe lateq; patenti imperio est (credo) quod isti ad timorem uobis & terrorem stultissime proponebant, periculum, ut propter illam puerilem orationem, ne aut Germania deficiat, Gallia desciscat, atq; ut

d 3 eorum

Mabypora

eorum præclara ponam uerba, ne tota ultramontana bar-
baries cornua erigat, & nouas incursionses in Italianam
aggrediatur. Atqui neq; illud sane uideo cur de uobis tam
male sentiant, ut Republicæ statum, tanquam abiectum
& plane eversum, contemptui nobis fuisse existiment,
qui nihil quidem minus uestram quam maiorum uestro-
rum fortunam semper admirati sumus. Imperarunt illi (fa-
teor) multo maximis terræ partibus: uos autem, an non
omnium gentium uel clarissimis uel fortissimis ius dicitis?
quando præter Italianam, Siciliam, Sardiniam, Gallos item,
Hispanos, Germanos, Pannones. Illyricos, Dacas, Sauro-
matas, & Europæos Scythes, hinc etiam iura petunt to-
to diuisi orbe Hyberni, Britanni, atq; felices illi fortuna-
tarum insularum incolæ Canarij. Nam Thulen olim exi-
stimatam Orchadum ultimam, religionis quidem imperio
sociam adhuc tenetis. Domuerunt illi (scio) summa vir-
tute plerasq; omnes Africæ Asiacq; nationes. At uobis
plurimæ ultro parent, plurimæ pontificis principisq; Ro-
mani legibus utuntur. In Græcia quidem & Asia Epidau-
rus, Alycarnassus, Cyprus, Rhodus, Creta, Chius, Corcy-
ra, breuiter quotcunq; inter Asiam, Africam, Europam
toto mari uisuntur insulæ, haec omnes nutum uestrum in-
tuentur. In Africa uero sacro iure reguntur Massesyli,
Tripolitani, Cæsariensis Mauritania, Tyngitana prouin-
cia. Non me quidem fugit multis illos gentibus imperi-
tasse, quarum nulli hodie ius dicitis. Atqui uos multarum
in animos, quod quidem summū esse summi imperij argu-
mentum reor, hodie dominamini, quorum illi nomen haud
scio an unquam audierint, uel etiam omnino legerint, re-
giones certe nunquam audierunt, mores ne ex negocia-
ribus quidem notos habuerunt. Profecto Gothis ipsis,
Danis

*+ pulcherrimum
flurri gratias*

Danis, Sclavis, Pomesanis, Borusijs, & qui usque ad Rhiphæos montes, concretumq; oceanum latissimis finibus protenduntur Litalanis ac Liuonibus imperatis. In aduersa uero mundi parte, & extima Africæ ora, quæ à Gadi-tano freto, per utrosq; Aethiopas usq; ad mare rubrum in immensum procurrat, uobis parent tot populi, tot gentes, tot nationes, tot principes, tot reges, ut sane nomen-clatore opus sit aliquo, si quis eos omnes recenseri hic cupiat. Quid quod præter Indum & Gangen, ac nobilissimas illas Orientis insulas orbis alter ab occasu, isq; hoc nostro nihilo penè minor ac maioribus item nostris ne fama quidem notus, Principis pontificisq; Romani imperio obtemperat? An non hodie etiam (ut olim) in Africam, Europam, Asiam, ad solis ortum & occasum, in Meridiem & Septentrionem, imò uero ultra ipsas quoq; Solis anniq; vias, mutatis quidem nominibus sed pari potestate cù imperio mittitis, aut illic probatos creatis Quæstores, Prætores, Præsides, Proconsules, quos propositos, episcopos, archiepiscos, primates appellant? Quorsum hæc? quorsum? ut isti intelligent nihil esse quod aut majoribus uestris tantopere inuideatis, aut puerilem illam de laudibus Francorum dictionem, in tanta imperij magnitudine, in tam alto festæ pacis ocio non facile contemnatis. Quæ si uobis decessent omnia, esset tamen profecto à populi Romani dignitate longe alienum uerbis commoueri, ne muliebri ingenio, cù imperio (quod in manu fortunæ semper fuit) uirtutē quoq; amississe, atq; à prisca illa maiorum uestrorū constantia, animiq; magnitudine prorsus degenerasse uideamini. At enim Po. Ro. turpe fuerit unius in Christ. Lögoli potestate positū uideri, ut is arbitratus suo res Romanas modo extollat, modo deprimat. Nō in unius

d 4 Long

Longolij potestate collatū isthuc est P. C. sed nec in morta
 liū cuiusquam arbitrio : si omnem humanam laudē rerum
 gestarum magnitudine multum superasti, omnem inui-
 diam gloria longe uicisti. An non hic manifestam aduer-
 sariorum meorum & calumniam & iniquitatem perspi-
 citis: qui eandem obseruantie contumeliæq; pœnam san-
 ciunt, & laudem uituperationis loco ponunt? Si me ciuita-
 te uestra indignū ducitis, quod eam puer uituperare sum
 uisus: cur non eadem quoq; dignum, & uir factus omni
 laudum genere ornarim? Sed hoc non postulo: illud mi-
 ror cur laudibus uestris à me optima fide conscriptis, &
 summam inesse infamiam & maximam pœnam constituē-
 dam iudicetis, cum & usu frequens sit, nec ~~summa~~ nun-
 quam prudentiæ attributum, è quo sis fonte leviter asper-
 sus, ex eodem laudes tuas haurire. Quid'nam illud tan-
 dem sibi uelle existimamus, ut à poëtis fortasse confictum,
 sic certe in rem mortalium sapienter excogitatum: Stefi-
 chorū uatem egregium, simulac in Helenam illam di-
 xisset, oculorum usum amisisse, statim ut recantasset, recu-
 perasse? Quid'nam aliud P. C. nisi conuitia laudibus tol-
 li, maledicta benedictis emendari, uerborum iniurias bo-
 nis uerbispensari? Si in Romanos scripsisse, re uera pec-
 cassem: sed eo sane delicti genere, quod sequens laudatio
 facile corrigeret. At qui in uos iusta oratione, aut consulto
 inuectus sum nunquam. Quæ tandem igitur inuidia est, si
 rerum uestrarum studio incensus, de laudibus uestris ora-
 tiones quinq; quam potui ornatisime & copiosissime cō-
 scripsi: & eas haud ita pridē Romæ in frequentissimo do-
 etiſſimorū hominum cōuentu apud Io. Matthæū Gibertū
 studiosissime recitaui? Neq; uero ullā in eo levitatis famā
 mihi pertimescendam esse existimauī, quasi pristinas meas
 actiones

actiones ipse uoce mea damnarem. Primum enim sapientis hominis esse iudicabam, ita grauitati suæ constare uel le, ut consiliorum suorum rationes interdum commutandas putaret. deinde illud mihi in mentem ueniebat, quod id ætatis neque mea uoluntate, neque meo iudicio satis usus essem. postremo nihil hasce conciones illi declamationi, quatenus res Francorum ornasset, aduersaturas uidebam. Sic enim populi Romani laudes prædicauit, ut omnium sententia ipse à me non descierim, id est, ut Francis constantiam, historiæ fidem, uobis quam debeo pietatem præstiterim. Incubui quidem uehementius in causam uestram, atque omnes animi ingenijq; mei uires in eam profudi: sed non alia sane de causa, atque ut ne quis ea in uos serio & bona fide à me dicta esse suspicaretur, quæ tum scilicet temporibus dedisset: tum uero ut me in Francicarum rerum commemoratione officijs fructum, in his quinq; concionibus etiam pietatis laudem quæsiuisse homines aliquando intelligerent. Absit uerbo inuidia, P. C. sed ita res habet, quemadmodum Lælius Maximus uir fortissimus, & idem ciuis optimus, uobis hoc loco nuper testabatur, cum paulum deflagrare nominis mei inuidia absentis causam ageret, & huius conſpiracionis fontes appeariret. Non illud mihi potissimum obest, quod in primis criminis datur: sed uel laudi, uel nouitati inuidetur meæ, quod post habitas quinq; illas conciones, eruditorum hominum contestatione, res uestras eo celebrasse dictus sim modo, quo ante me mortalium nemo. Hinc illæ inuidiae tempestates, hinc illæ tragœdiæ, hinc ego Italiæ inimicus, hinc Christophorus Longolius huius reipublicæ hostis: hinc, si quicquam istis creditis, ego dijs hominibusq; iuxta inuisus. Intererant enim concioni tres illæ faces, imò tria

d 2 illa

illa huius tumultus incendia, cum inquilino suo Sinone,
quem ante tum cum diem, cum tantum laudis ex laudibus
uestris retuli, tum mihi à uobis ius ciuitatis delatum, sem-
per inuidia pallentem mirabamini: nunc autem magno uel
uestri de me iudicij splendore incēsum, uel repulsa suæ do-
lore inflamatū & ardentem uidetis. Aderant igitur illi,
quando tam illustre testimonium, haud scio an ipsorum
etiam consensu, per honorificis certè omnium uerbis re-
tuli. Sed si res uestras scriptis meis tam acerbe quam isti
mentiuntur exagitassem, quanto iustius à me ornandi
fuissetis? Nec enim uideo ut aliter uiolata populi Roma-
ni dignitas expiari potuerit. Si nihil in uos dedita opera
scripsi, ut nihil profecto scripsi: ne mihi, rogo, fraudi sit
quòd uos pro uirili mea parte celebraui. Scio quidē res
uestras nec tam obscuras esse, ut testimonio cuiusquam
illustrari, nec tam dubias, ut nostro iudicio confirmari
desiderent. Ne multa, scio quidem nomini Romano nihil
esse opus externorū (quos isti Barbaros appellant) scri-
ptorum monumentis, sed nec Deo et iam mortalium scr-
monibus. At ille cum sua sponte satis & laudatus sit &
beatus, tamen gentium omnium linguis atque literis lau-
des suas celebrari facile patitur, atque (ut credibile est)
etiam gaudet, cum in officio sumus, idq; piè ac religiose
colimus, quod supra omnem mortalium conditionem lon-
gissime extollitur. Pari ego res uestras ratione dilauda-
ui Patres conscripti, non ut eas prædicatione nostra am-
plificarem: nec enim habent quò iam progrediantur,
quandoquidem ut ille uerissime cecinit, Imperium ter-
ris, animos & quastis olymbo: sed ut omnibus mortalibus,
non solum uobis, testatum planum' que facerem, quantum
id esset, quod de Italiæ felicitate, urbis huius præstantia,
populi

populi Romani uirtute , Imperij uestri maiestate iam o= lim persuasum habuissem. Nam quòd isti ad serēdos qui= dem rumores, & ad coniūciendas in aliquem suspiciones appositiissimi, ad explicationem uero criminis, longe ine= ptissimi , multis uestrum senatum ingressuris, in aurem quidem , sed ita, ut amicorum meorum nonnulli exaudi= rent, insusurrarunt, periculum esse, ut si secundum me iu= dicetis, ne statim in Gallias ac Germanias, tanquam à me Rome superatis transalpina dicendi facultate Romanis, ad triumphum deuolem : atque illinc, ea immutata quam nunc erga uos præ me fero uoluntate, uobis stultitiam ue= stram ipse exprobrem, quòd me ciuitatis iure nō spoliaue ritis, in quos olim tam acerbe inuictus essem. An non hic etiam sentitis Patres conscripti , cum innocentiae meæ, tum iustitiae uestræ , insidias nouo & singulari quodam artificio tendi? Scripsisse me in uos dicunt. At id me ope= ris nunquam habuisse ostendi . Gloriaturum me apud Gallos & Germanos aiunt , quasi conturbatos dictionis nostræ uiribus Romanos in ipsa urbe Roma superarim. At quām non ita multum in hac Latinè dicendi laude processerim, magis sane, magis quām causæ nostræ expe= diat, uidetis : nisi cui fortasse uestrum summam eloquen= tiam , summa innocentia libeat definire. Qua quidem ra= tione, non populum ipsum Romanum, quicum mihi bene conuenit , nullum quidem plane certamen unquam fuit, sed accusatorum meorum factionem uestro iudicio , ap= probante populo Romano , à me Rome uictam esse, per uos quidem mihi, uti spero & opto , gloriari aliquando licuerit. Addebat me, si deo placet, uecordiam uobis ex= probraturum esse . At quodnam rei huius argumentum attulerunt? quo id denum signo sibi ducunt? quod ne le= ui quidem

ui quidem coniectura quisquam doceat. Nam si me tam ingratum libeat fingere, tam stultus certe non sum, ut uel tanto studio collectam in me benevolentiam temere effundam, uel quid de eo iudicaturi sint homines, non uideam, & quam magnam perfidiæ sceleris que infamiam mihi struerem, non prospiciam. Verum quis me uobis inimicum fore credat, ob acceptum, & hoc uestro iudicio comprobatum (uti spero) duplicatum que mihi ciuitatis beneficium: qui sola ciuium Romanorum consuetudine uel ante quam uestra de me tam præclara iudicia extarent, ducerer atque delectarer? qui huiuscet retinendi patriæ iuris sum appetentissimus, urbis Romæ amantiissimus, literarum uestrarum cupidissimus, religionis Romanae & Christianæ studiosissimus, denique ingeniorum uestrorum admirator etiam nimius? si quid modo hoc in genere sociorum multis credendum putarem. Omnino nisi me ex aduersariorum meorum ingenio atque natura fingitis, nunquam planè odiosis eorum suspicionibus criminibus que fauebitis: quæ cum à maioribus atque institutis nostris multum abhorrere uobis policeor, tum uero commodis atque existimationi meæ plurimum esse aduersatura, iam uos quoque animo cernere arbitror: cum boni uiri & mente & fama nihil unquam duxerim antiquius, easq; mihi nihilo tuendas minus res, quam uitam ipsam sim arbitratus. E quidem fidem meam apud optimos quoque labefactarem, neque adeo ipse me hominem iam putarem, si humanitatem, si æquabilem uestram in dicendo iure rationem incusarem, id uobis uitio ingrate uerterem, quo uno potissimum nomine, non dico ipsi me uobis in perpetuum deuinxissetis, sed uos ad Dei immortalis numen proxime accessistis. Ego clementiam uobis

uobis exprobrem: ego liberalitatem obijciam: ego animi
uestri altitudinem accusem: Ne P.C. ne (quæso) uanis
istorum suspitionibus uobis indulgendum putetis: quin
eis hoc magis resistite, quo minus populi Romani ma-
gnitudinem decet, cuiusquam sermones reformidare, ne-
dum illius qui si munificentiam æquitatemque uestram
reprehenderet, eodem ipse tempore ex uos summopere
laudaret, ex sua se uoce ingratu crimine condemnaret:
quod quid aliud sit, nisi cum se omni munificentæ et iu-
dicij uestri fructu stulte priuaret, tum omnium mortaliū
odijs atq; execrationibus subijcere? Habetis à me quinq;
illas nostras conciones non modo periculi, quod quidem
nullum est, obsides, ac uoluntatis, quæ sempiterna certe fu-
tura est, pignora: sed totidem etiam perpetua meæ in no-
men Romanum obseruantiaæ monumenta. Sed nec
sane diu ignotum socijs et prouincialibus esse
poterit, quam hoc in loco apud uos enixe
contenderim ut bonus tum uir, tum
ciuiis omnium uel opinio-
ne haberer, uel etiam
sententia iudi-
carer.

CHR